
VITA ET RES GESTAE. B. PETRI THOMAE AQUITANI, EX ORDINE B...

Luke Wadding, Giovanni Battista Coccini





VITA
ET
RES GESTÆ.
B. PETRI THOMÆ
AQVITANI,
Ex Ordine B. MARIÆ VIRGINIS
à Monte Carmelo Patriarchæ.
Constantinopolitani
ET
Sedis Apostolicæ Legati:



Authore R. Adm. P. Fr. LVCA VVADDINGO,
Ordinis Minorum Chronographo, Inquisitionis
Rom. Censore & Collegij S. Isidori
in vrbe Guardiano.



Conu.tus S.tae Mariae de Scala Vrbis.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

Cum approbat. & Super. permissu.


VITA
ET RES GEST
B.PETRI.THOM
AQVITANI
ex ordine B.Mariæ Vir
à monte Carmelo Patr
Constantinopolitan
LVGDVNI
Sumptibus LAVRENTII DVRAND
Cũ Approb. & Perm. 1637.



EMINmo. ET REVmo.

D.D. MARTIO
CARD. GINNETTO
SEDIS APOSTOLICÆ
à latere Legato,

ET

RELIGIONIS
B. MARIÆ VIRGINIS
à MonteCarmelo Protectori.


MINENTISSIME PRINCEPS, *Roma Coloniam te Apostolicæ Sedis Legatum ad Reges destinauit Vrbanus VIII. Ego Româ Coloniam Sedis Apostolicæ Legatum alterum ad*

te mitto, olim ab Vrbano V. designatum. Tu maximis Europæ Regibus pacificandis amandatus es: hic sedandis Italiæ motibus, Christiano ampliando orbi, Turcarum comprimendæ potentiæ, non semel hac fulsit dignitate. Latebat tamen aliquanto inglorius, & gloriosi nominis fama longo squallebat situ, rerum insigniter gestarum sepultâ memoriâ. Ego opportunè omnem collegi & veluti ab obliuione vendicaui, quando tuum mihi non defuturum patrocinium certo ausim polliceri. Carmeli montis Sodalitium tuæ fidei commissum, tu protegis diligenter, & foues peramanter: nobile hoc eiusdem Religionis germen à te confidenter idipsum sperat, quod

libenter

libenter omnibus impendis. Sunt multi alienæ gloriæ hostes, sunt qui sacris institutis illustrium filiorum splendorem inuideant, suæ detrahi putantes, quod alterius accedit dignitati. Ad te itaque pergit, vt quam à me nunc habet vitam, abundãtiùs habeat, susceptâ per te contra obtrectatores tutelâ. Bono etiam omine ad te festinat, vt arduum, quod aggressus es, negotium feliciter absoluas. Etsi nunc è tenebris fama splendescat, eo tamen ipse loco est, quo tibi sub pondere laboranti possit, & velit auxiliari, longa in his rebus experientia probè sciens, quæ huic sunt muneri necessaria. Vale optime Princeps, & vetusti mei erga te obsequij recens

 hoc

hoc ſpecimen admitte. Ex Collegio Romano S. Iſidori Fratrum Minorum Hibernorum. Kalendis Aprilis 1637.

FR. LVCAS VVADDINGVS.

CANDI



CANDIDO
LECTORI.

IN limine fortaſſis hærebis, & inquires, cur alienis me ingeram rebus, aut exterorum vitas ſuſcipiam deſcribendas? Non vna, neque inanis fuit cauſa, virum hunc æquè doctum, & ſanctum celebrandi. Ea potiſſima, quòd dum benefico aſſenſu Sanctiſſim. Dom. N. Vrbani VIII. archiui Vaticani monumenta percurrerem, vt quæ inſtituto deſeruirent Minorum, vniuerſa colligerem, inciderim in Petrum Theutonicum Franciſcanum, Epiſcopum Pactenſem, cui immediatè ſucceſſit Petrus Thomas, atque interlabente Bulla promotionis huius ad eandem Eccleſiam, ego reliqua, quæ ad hunc ſpe-

ctabant, monumenta transcripse-
rim, deceptus Petri nominis (quod
solum in Bullis erat) similitudine.
Accepi deinde ab Eminentissimis
DD. Cardinalibus, Sacrorum Ri-
tuum Congregationi Præfectis, of-
ficia propria Ordinis Carmelitarum
recognoscenda, adhibitis etiam do-
ctissimis Collegis, eiusdem Sacræ
Congregationis consultoribus, Re-
uerendissimo D. Fortunato Scaccho
Pontificio Sacrario, & R. P. Terentio
Alciato, Societatis Iesu, Apostolicæ
Pœnitentiariæ Basilicæ Vaticanæ
Præpositis: inter quæ dum etiam
B. Petri Thomæ acta diligentiùs
examinarentur, errorem deprehen-
di; & quæ priùs Petro Theutonico
tribuebam, libens in Petrum Tho-
mæ transtuleram. Ne itaque à me
impensus labor, & ipsa deperirent
monumenta, in gratiam sanctissimi
sodalitij, quod summopere veneror,
decreui

decreui vitam referre, & Vaticanas memorias in lucem proferre.

Aliam indico causam, quòd multiplici titulo virum ipsum, vel rerum ab eo gestarum partem aliquam nobis liceat vendicare. Præclara etenim illius facinora, multam habent cum rebus nostris affinitatem. In ecclesia Pactensi, quam primam accepit, prædecessorem habuit Franciscanum; in pace Veneta & Genuensi, ad quam primùm amandatus est, adiutorem habuit Fortanerium Patriarcham Gradensem Minoritam; in legatione Rasciæ Collegam Bartholomæum Episcopum Traguriensem ex eodem instituto. Amandato ad Hungaros & Venetos pacificandos adiunctus est socius Stephanus electus Zagabrien. Minorita. Legationis Constantinopolitanæ particeps erat Gulielmus Sisopolitanus Antistes Franciscanus.

nus. Celebrandis exequiis encomiasten sortitus est eiusdem professionis virum doctum Ioannem Lamersogenem: & demum vitam eius, ac gesta primus scripsit Ioannes Fauentius Franciscanus. Huius opellæ fragmenta aliquot, diligenter perquisita accepi, & vitam quam scripsit Philippus Mazzerius Regni Cypri Cancellarius, viro sancto familiaris, atque in frequenti itinere socius humilem tamen, & valde diminutam prout illa ætas ferebat. Ego sordibus dilutis, & exuta senecta, feci nouiorem, auctiorénique, additis dumtaxat, quæ ex probatissimis monumentis accepi, atque hæc ipsa fidei adstruendæ ad opusculi finem subiunxi. Notas deinde vberiores addidi, in quibus procul feci plerosque errores authorum, qui potiùs comminiscuntur, quæ scribunt, quàm referant, quæ gesta sunt. Grauiter hoc

vitio

vitio laborant ſcriptores aliqui, qui affectui ſuccumbentes, quo volunt, & quomodo volunt, hiſtoriam deducunt, & incautum lectorem circumducunt. Ad conciliandam demum potiorem authoritatem huic noſtræ narrationi, præmitto grauiorum Authorum teſtimonia, quæ viri ſanctiſſimi memoriam ampliùs commendabunt.

ELOGIA



ELOGIA
IN
B. PETRVM THOMÆ.

IOANNES MOLANVS IN additionibus ad Martyrologium Vsuardi VIII. Idus Ianuarij.



*Pud Famagustam, ciuitatem Cypri, B. Petri Thomasij * Patriarchæ Constantinopolitani, Doctoris percelebris, Ordinis Carmeli Professoris, qui post plures de Sacræ Crucis inimicis victorias, póstque plures conscriptos libros, ac patrata miracula, die ac hora à se præsignatis, obdormuit.*

* Vide notas numer. 1.

Infrà in annotationibus.

P*Etri Thomæ, siue Thomasij vitam scripserunt Philippus Mazzerius Cancellarius Regis Cypri, & Ioannes Fauentinus, nondum impressi.*

Petrus

Petrus Galesinius in notationibus ad Martyrologium Romanum VIII. Idus Ianuarij.

*IN Cypro insula B. Petri Thomasij, Famagustæ * Episcopi, cuius res sanctè gestas, ac vitam religiosè actam literis consignauit Philippus Mazzerius Regis Cypri Cancellarius.*

* Vide notas num. 11.

Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum. eodem die.

FAmagustæ in Cypro B. Petri Thomasij Episcopi Constantinopolitani Ordinis Carmelitarum.

Idem in Topographia in Martyrologium Romanum.

FAma-Augusta, &c. VI. Ianuarij Petrus Thomasius Episcopus.

Octauius Caietanus in Idea operis de vitis Sanctorum Siculorum.

EX Ordine Carmelitarum Petrus Patriarcha Constantinopolitanus Famagustæ, in Insula Cypro.

Specu

Speculum Ordinis Carmelitarum.

* Vide notas num. 13.

*Sanctus Petrus Thomas Patriarcha Alexandrinus, * fuit Legatus Papæ. Corpus istius sancti Petri est in Regno Cypri, in Conuentu Famagustæ.*

Fasciculus temporum sub Innocentio VI.

Alexandria, Ægypti ciuitas opulentissima, à Petro Ierusalem, Cyprique Rege capitur, B. Petro Thomæ Ordinis Carmeli Patriarcha Constantinopolitano, ac Sedis Apostolicæ pro sancto passagio Legato multùm cooperante.

Infrà sub Vrbano V.

Sanctus Petrus Thomæ, ex Carmelita Pactensis Episcopus, & Patriarcha Constantinopolitanus, Doctor percelèbris, summíque Regis signifer bellicosus: post innumeras, quas habuit, nedum cum spiritualibus, sed & corporalibus Crucis inimicis victorias; postque plures conscriptos libros, ac patrata miracula, in Famagusta, Regni Cypri ciuitate, corpus exuit in festo Epiphaniæ.

Iacobus

Iacobus Philippus Bergomensis lib. 13. supplementi Chronicorum ad annum M. CC.

ORdo Carmelitarum protulit, &c. *atque Petrum Thomam Constantinopolitanum Patriarcham, præclarissimum Doctorem, qui cum spiritualibus, ac temporalibus inimicis, pro fide Christi multos pertulit conflictus, ac demum post multorum librorum editionem, miraculis clarus, apud Cyprum insulam in pace quieuit.*

Baptista Mantuanus in Apologia pro Carmelitis.

ADde supradictis Petrum Thomæ Patriarcham Constantinopolitanum, qui post multas clades Saracenis illatas (ipse namque Alexandriam Ægypti Vrbem nobilissimam, cum Petro Cypri Rege Christo restituit) post multos libros Catholicè & ingeniosè conscriptos, iacet in Cypro, Famagustæ sanctitatis opinione diffamatus.

Stephanus Lusignanus Cyprius in libro coronarum, corona. V.

Petrus Thomas Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte-Carmelo Patriarcha Constantinopolitanus, vir sanctissimæ vitæ, obiit Martyr. * *sepultus est Famagustæ, & ab omnibus reputatur Beatus.*

* Vide notas num, 2.

In Chorographia eiusdem & breui historia insulæ Cypri.

B. Petrus *Thomas, Patriarcha Constantinopolitanus, Carmelita, sepultus apud Carmelitas Famagustæ cum multis miraculis.*

Syluester Marulus in Mari Oceano Religionum, titulo de Ordine Carmelitarum.

Claruit etiam Fr. Petrus Thomas ex Vasconia, qui ob magnam erga Beatissimam Virginem deuotionem, ab ea recepit multas reuelationes, inter quas hæc illi dixit. * *Vsque in finem mundi Petre, Religio Carmelitarum permanebit, nam Helias, illius institutor, filio meo apparente in Transfiguratione*

*Vide notas num.7.

*tione, hæc eadem postulauit & impetrauit. Fuit assumptus ad Episcopatum Precacensem, * & postea ad Patriarchatum Constantinopolitanum, postquam diu laborauit, & libros multos scripsit, factus est Legatus in Alexandria, * & in Famagusta * Cypri fuit vulneratus ab infidelibus, obiítque in die Epiphaniæ anno * 1376. & ibidem sepultus in Conuentu Carmelitarum, clarus multis miraculis, & in illo regno plurimùm inuocatur tempore epidimiæ.*

* Vide notas nu. 10.
* Vide num. 12.
* Vide num. 16.
* Vide num. 17.

Ioannes Grossus Generalis Carmelitarũ electus ann. M. CCCLXXXIX. in tractatulo, cui titulus est, *Viridarium Ord. Carmelitarum.*

*QVintus decimus fuit sanctus Petrus Thomæ, Patriarcha Alexandrinus, * per quem Deus multa fecit miracula in captione ciuitatis Alexandriæ, & etiam in ciuitate Bononiæ, vbi per certum tempus mansit Legatus Papæ, * quo siquidem tempore fundauit vniuersitatem Bononiensem in sacra pagina, cuius facultatis eximius fuit Doctor, & hoc manifestè habetur in Registro Doctorum illius vniuersitatis in sacra pagina, in quo principalis Fundator nominatur. Vita istius*

* Vide notas num. 13.
* Vide num. 14.

sancti habetur in multis partibus mundi, & præsertim in Anglia: cuius regni duo milites, videlicet Dominus Ioannes de Grey, & Dominus de Stapylton. qui secum in captione prædictæ ciuitatis Alexandriæ fuerunt personaliter, eius vitam gloriosam descriptam, sub inquisitione veridica tam secularium, quàm Religiosorum ad partes Angliæ deportauerunt. Corpus istius sancti est in regno Cypri, in conuentu Famagustæ, vbi per eum multa fiunt miracula.

Ioannes Paleonydorus Batauus de Antiquitate, & sanctimonia Eremitarum Montis-Carmeli lib. 3. cap. duodecimo.

*CLaruit etiam circa hæc tempora Magister Petrus Thomas. Hic (teste Cancellario Cypri) ortum habuit ex Aquitania, hic deditus literarum studiis, in Conuentu * Cadomensi habitum nostræ Religionis assumpsit. Totum verò studium suum, & vitam sine intermissione post Deum, intemeratæ Virgini affectuosissimè dicauit, etiam in corporali sua necessitate recurrens ad eandem. Vnde plures habuit ab eadem Virgine reuelationes. Dum aliquando anxius pro humana necessitate Virgi*

*L. Condomensi.

Virginem exoraret, dixit illi in visu: Ne timeas Petre, omnia tibi necessaria adiicientur. Altera die Deo, suæque Genitrici gratias agens, postquam Missarum compleuisset mysteria, venit quidam mercator, & facta confessione dedit illi decem aureos Regales. Exinde temporalium semper sufficientiam à Deo consequutus est. Adeptis autem Parisiis Doctorum insigniis, post frequentes orationes pro Ord. nostri stabilitate in nocte Pentecostes instantiùs Virginem Mariam exorauit. Cui apparens illa dixit, vsque in finem mundi, Petre, Religio Carmelitarum permanebit, nam Helias, illius institutor, filio meo apparente in transfiguratione, pro eadem causa, postulauit, & impetrauit. Hic primò Episcopus Pactensis, inde Patriarcha Constantinopolitanus, post multa conscripta volumina, similiter elegantissimorum, & Magistralium sermonum, póstque multa virtutum opera, factus Legatus in Alexandriam, vulneratus infidelium telis, in Famagusta Cypri in die Epiphaniæ migrauit ad Christum, ciuitate Alexandria capta anno Domini 1366. est verò sepultus ibi in Conuentu nostro, clarens miraculis, sicut & in vita. Singulariter autem à loci illius incolis pro morbo epidimiæ & pestilentiæ imploratur.

Gulielmus Eyſengrenius in Catalogo teſtium veritatis,ad annum M. CCCXLVIII.

S. *Petrus Thomas,Ordinis Fratrum B.Mariæ ſemper Virginis de Monte-Carmeli,primùm Epiſcopus* * *Pactenſis, deinde Cretenſis Archimyſta, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſacræ paginæ Doctor,vir vtique religioſus, innocentis vitæ, & bonus Paſtor, Philoſophus & Orator celebris, Theologus profundus, non minùs doctrina, quàm vitæ ſanctitate Pontifex clarus. Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Sermones quoque in ſolemnibus habitos ſcripſit. In Cypro ſepelitur, Annum circiter Saluatoris Chriſti* M. CCCLXI.

* Vide num. 10.

Trithemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

P*Etrus Thomas, Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ ſemper Virginis de Monte-Carmeli, primùm Epiſcopus Pactenſis,* * *deinde Cretenſis Archiepiſcopus, nouiſsimè verò Patriarcha Conſtantinopolitanus, vir in diuinis ſcripturis eruditiſsimus, vita & conuer-*

* Vide num. 10.

ſatione ſanctiſsimus, quippe qui viuus & mortuus, ſignis & miraculis multis legitur coruſcaſſe, in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenij fuit. Scripſit quædam præclara volumina, de quibus iſta feruntur.

Super Sententias. lib. 4.
Sermones quoque varij lib. 2.
Et quædam ſimilia.

Claruit temporibus Caroli Imperatoris quarti, & Clementis Papæ ſexti. Anno Domini 1350. & in Cypro ſepultus.

Eadem exſcripſerunt Petrus Lucius Belga in Bibliotheca Carmelitarum, & Antonius Poſſeuinus in Apparatu ſacro.

Conradus Geſnerus in Bibliotheca.

*Petrus Thomas Ordinis fratrum Beatæ Mariæ ſemper Virginis de Monte-Carmeli, primùm Epiſcopus Pacenſis, * deinde Cretenſis Archiepiſcopus, nouiſsimè verò Patriarcha Constantinopolitanus, ſcripſit quædam præclara volumina, de quibus iſta feruntur,* &c.

* Vide num. 10.

Super Sententias libros quatuor.
Sermones quoque varij, libri duo.
Et quædam ſimilia.

Thomas à Iesu lib. 1. antiquitatis Carmelitanæ cap. 6.

Anno 1350. floruit in Ordine S. Petrus Thomas, qui postquam in Religione sanctißimè vixerat, electus est Episcopus Pactensis, Archiepiscopus Cretensis, & postremò Patriarcha Constantinopolitanus. Fuit in diuinis literis doctissimus, in vita & moribus sanctissimus, obiitque post obtentas victorias multas contra fidei hostes, prænunciatis die & hora mortis suæ. Fuit miraculis illustris in vita, & post mortem, vti colligitur ex Martyrologio Molani & ex Trithemio. Mortuus est Famagustæ sub Carolo IV. Imperatore, & Clemente VI. anno 1350. * *Eiusdem festum celebratur die VI. Ianuarij.*

* Vide num. 17.

APPRO

APPROBATIO RELIGIONIS.

VIdimus ex cõmiſſione R^mi. P. N. Miniſtri Generalis Fr. Ioannis Baptiſtæ à Campanea, & cum voluptate perlegimus *vitam & geſta B. Petri Thomæ* Ordinis B. Mariæ Virg. à Monte Carmelo Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Sedis Apoſtolicæ Legati à R. admodùm P. Fr. LVCA VVADDINGO conſcripta; in quibus omnia argumenti dignitati, ſcriptoris famæ, & ſacris regulis correſpondere comperimus, & proinde prælo & laude digniſſima iudicamus. Ad S. Iſidori Kalendis Aprilis an. 1636.

Fr. Ioannes Poncius S. Theol. Lector.
Fr. Thadæus Dalyus S. Theol. Lector.

LICENTIA R^mi. P. GENERALIS Ordinis Minorum.

PLacet vt vitam & geſta B. Petri Thomæ Ord. Carmeli à V. P. ſcripta typis committantur, obſeruatis Tridentinis & noſtris conſtitutionibus. Datũ in conuentu S. Mariæ de Aracæli, die 4. April. 1636.

Fr. Ioannes Baptiſta à Campanea
Miniſter Generalis.

APPROBATIO R^mi. P. DOMINI Hilarionis Rancati Præsidis Generalis Ord. Cistertien. & S. Inquisitionis Romanæ Consultoris.

EX cõmissione R^mi P. Nicolai Ricardij Magistri S. Pal. Apostolici vidi & attentè perlegi quæ hoc libello continentur, *vitam B. Petri Thomæ* & ad eam Notas, quæ consuetam authoris sui redolent pietatem, & eruditionem, eam scilicet, qua iam dictauit tot Annaliũ volumina, post quæ & hic liber tutò & vtiliter imprimi, & legi poterit. Datum in Monasterio S. Crucis in Ierusalem die 12. Aprilis 1637.

DON HILARION RANCATVS

Imprimatur.

FR. NICOLAVS RICARDIVS S. P. Apostolici Magister.

EGo subsignatus in sacra Theologia facultatis Parisiensis Magister, vidi & legi librum, cui titulus est: *Vita Beati Petri Thomæ Episcopi & Confessoris Ordinis sanctæ Mariæ de Monte-Carmelo*, in quo cùm nihil aduersus fidem, neque bonos mores repererim, dignum qui in lucem edatur iudicaui. Lugduni in Conuentu sancti Bonauenturæ, Fratrum Minorum, hac die quarta Septembris 1637.

FR. BERNARDINVS MOLLIASSON.

Idem censeo FR. BONAVENTVRA DELACLOSTRE Guardianus Conuentus S. Bonauenturæ Lugduni.

PERMISSIO.

VIsis approbationibus supra positis, librum inscriptum, *Vita B. Thomæ Confessoris, &c.* à Laurentio Durand Bibliopola Lugdunensi imprimi non impedio, prohibens ne quis alius dictum librum excudat. Datum Lugduni die quinta Septembris 1637.

PROST.

CONSENSVS.

FIat, iuxta conclusiones Procuratoris Regij, Lugduni die quinta Septembris 1637.

SEVE.



INDEX BVL RVM QVÆ B.PETRI THOMÆ RES GESTAS concernunt.

BVLLA I.

Mit

Speculum Ordinis Carmelitarum.

Sanctus Petrus Thomas Patriarcha Alexandrinus, * *fuit Legatus Papæ. Corpus istius sancti Petri est in Regno Cypri, in Conuentu Famagustæ.*

* Vide notas num. 13.

Fasciculus temporum sub Innocentio V.I.

Alexandria, Ægypti ciuitas opulentissima, à Petro Ierusalem, Cyprique Rege capitur, B. Petro Thomæ Ordinis Carmeli Patriarcha Constantinopolitano, ac Sedis Apostolicæ pro sancto passagio Legato multùm cooperante.

Infrà sub Vrbano V.

Sanctus Petrus Thomæ, ex Carmelita Pactensis Episcopus, & Patriarcha Constantinopolitanus, Doctor percelèbris, summíque Regis signifer bellicosus: post innumeras, quas habuit, nedum cum spiritualibus, sed & corporalibus Crucis inimicis victorias; post-que plures conscriptos libros, ac patrata miracula, in Famagusta, Regni Cypri ciuitate, corpus exuit in festo Epiphaniæ.

Iacobus

Iacobus Philippus Bergomensis lib. 13. supplementi Chronicorum ad annum M. CC.

O*Rdo Carmelitarum protulit*, &c. *atque Petrum Thomam Constantinopolitanum Patriarcham, præclarissimum Doctorem, qui cum spiritualibus, ac temporalibus inimicis, pro fide Christi multos pertulit conflictus, ac demum post multorum librorum editionem, miraculis clarus, apud Cyprum insulam in pace quieuit.*

Baptista Mantuanus in Apologia pro Carmelitis.

A*Dde supradictis Petrum Thomæ Patriarcham Constantinopolitanum, qui post multas clades Saracenis illatas (ipse namque Alexandriam Ægypti Vrbem nobilissimam, cum Petro Cypri Rege Christo restituit) post multos libros Catholicè & ingeniosè conscriptos, iacet in Cypro, Famagustæ sanctitatis opinione diffamatus.*

Stephanus Lusignanus Cyprius in libro coronarum, corona. V.

*PEtrus Thomas Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte-Carmelo Patriarcha Constantinopolitanus, vir sanctissimæ vitæ, obiit Martyr. * sepultus est Famagustæ, & ab omnibus reputatur Beatus.*

* Vide notas num. 2.

In Chorographia eiusdem & breui historia insulæ Cypri.

B. Petrus *Thomas, Patriarcha Constantinopolitanus, Carmelita, sepultus apud Carmelitas Famagustæ cum multis miraculis.*

Syluester Marulus in Mari Oceano Religionum, titulo de Ordine Carmelitarum.

*CLaruit etiam Fr. Petrus Thomas ex Vasconia, qui ob magnam erga Beatissimam Virginem deuotionem, ab ea recepit multas reuelationes, inter quas hæc illi dixit. * Vsque in finem mundi Petre, Religio Carmelitarum permanebit, nam Helias, illius institutor, filio meo apparente in Transfiguratione*

* Vide notas num. 7.

*tione, hæc eadem postulauit & impetrauit. Fuit assumptus ad Episcopatum Precacensem, * & postea ad Patriarchatum Constantinopolitanum, postquam diu laborauit, & libros multos scripsit, factus est Legatus in Alexandria, * & in Famagusta * Cypri fuit vulneratus ab infidelibus, obiítque in die Epiphaniæ anno * 1376. & ibidem sepultus in Conuentu Carmelitarum, clarus multis miraculis, & in illo regno plurimùm inuocatur tempore epidimiæ.*

* Vide notas nu. 10.
* Vide num. 12.
* Vide num. 16.
* Vide num. 17.

Ioannes Grossus Generalis Carmelitarũ electus ann. M. CCCLXXXIX. in tractatulo, cui titulus est, *Viridarium Ord. Carmelitarum.*

*QVintus decimus fuit sanctus Petrus Thomæ, Patriarcha Alexandrinus, * per quem Deus multa fecit miracula in captione ciuitatis Alexandriæ, & etiam in ciuitate Bononiæ, vbi per certum tempus mansit Legatus Papæ, * quo siquidem tempore fundauit vniuersitatem Bononiensem in sacra pagina, cuius facultatis eximius fuit Doctor, & hoc manifestè habetur in Registro Doctorum illius vniuersitatis in sacra pagina, in quo principalis Fundator nominatur. Vita istius*

* Vide notas num. 13.
* Vide num. 14.

sancti habetur in multis partibus mundi, & præsertim in Anglia: cuius regni duo milites, videlicet Dominus Ioannes de Grey, & Dominus de Stapylton. qui secum in captione prædictæ ciuitatis Alexandriæ fuerunt personaliter, eius vitam gloriosam descriptam, sub inquisitione veridica tam secularium, quàm Religiosorum ad partes Angliæ deportauerunt. Corpus istius sancti est in regno Cypri, in conuentu Famagustæ, vbi per eum multa fiunt miracula.

Ioannes Paleonydorus Batauus de Antiquitate, & sanctimonia Eremitarum Montis-Carmeli lib. 3. cap. duodecimo.

*CLaruit etiam circa hæc tempora Magister Petrus Thomas. Hic (teste Cancellario Cypri) ortum habuit ex Aquitania, hic deditus literarum studiis, in Conuentu * Cadomensi habitum nostræ Religionis assumpsit. Totum verò studium suum, & vitam sine intermissione post Deum, intemeratæ Virgini affectuosissimè dicauit, etiam in corporali sua necessitate recurrens ad eandem. Vnde plures habuit ab eadem Virgine reuelationes. Dum aliquando anxius pro humana necessitate*

*L. Condomensi.

Virgi

Virginem exoraret, dixit illi in visu: Ne timeas Petre, omnia tibi necessaria adiicientur. Altera die Deo, suæque Genitrici gratias agens, postquam Missarum compleuisset mysteria, venit quidam mercator, & facta confessione dedit illi decem aureos Regales. Exinde temporalium semper sufficientiam à Deo consequutus est. Adeptis autem Parisiis Doctorum insigniis, post frequentes orationes pro Ord. nostri stabilitate in nocte Pentecostes instantiùs Virginem Mariam exorauit. Cui apparens illa dixit, vsque in finem mundi, Petre, Religio Carmelitarum permanebit, nam Helias, illius institutor, filio meo apparente in transfiguratione, pro eadem causa, postulauit, & impetrauit. Hic primò Episcopus Pactensis, inde Patriarcha Constantinopolitanus, post multa conscripta volumina, similiter elegantissimorum, & Magistralium sermonum, póstque multa virtutum opera, factus Legatus in Alexandriam, vulneratus infidelium telis, in Famagusta Cypri in die Epiphaniæ migrauit ad Christum, ciuitate Alexandria capta anno Domini 1366. est verò sepultus ibi in Conuentu nostro, clarens miraculis, sicut & in vita. Singulariter autem à loci illius incolis pro morbo epidimiæ & pestilentiæ imploratur.

Gulielmus Eysengrenius in Catalogo testium veritatis, ad annum M. CCCXLVIII.

S. *Petrus Thomas, Ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de Monte-Carmeli, primùm Episcopus* * *Pactensis, deinde Cretensis Archimysta, & Patriarcha Constantinopolitanus, sacræ paginæ Doctor, vir utique religiosus, innocentis vitæ, & bonus Pastor, Philosophus & Orator celebris, Theologus profundus, non minùs doctrina, quàm vita sanctitate Pontifex clarus. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones quoque in solemnibus habitos scripsit. In Cypro sepelitur, Annum circiter Saluatoris Christi* M. CCCLXI.

* Vide num. 10.

Trithemius de scriptoribus Ecclesiasticis.

PEtrus *Thomas, Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ semper Virginis de Monte-Carmeli, primùm Episcopus Pactensis,* * *deinde Cretensis Archiepiscopus, nouissimè verò Patriarcha Constantinopolitanus, vir in diuinis scripturis eruditissimus, vita & conuer-*

* Vide num. 10.

sation

ſatione ſanctiſsimus, quippe qui viuus & mortuus, ſignis & miraculis multis legitur coruſcaſſe, in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenij fuit. Scripſit quædam præclara volumina, de quibus iſta feruntur.

Super Sententias. lib. 4.
Sermones quoque varij lib. 2.
Et quædam ſimilia.

Claruit temporibus Caroli Imperatoris quarti, & Clementis Papæ ſexti. Anno Domini 1350. & in Cypro ſepultus.

Eadem exſcripſerunt Petrus Lucius Belga in Bibliotheca Carmelitarum, & Antonius Poſſeuinus in Apparatu ſacro.

Conradus Geſnerus in Bibliotheca.

*Petrus Thomas Ordinis fratrum Beatæ Mariæ ſemper Virginis de Monte-Carmeli, primùm Epiſcopus Pacenſis, * deinde Cretenſis Archiepiſcopus, nouiſsimè verò Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſcripſit quædam præclara volumina, de quibus iſta feruntur, &c.*

* Vide num. 10.

Super Sententias libros quatuor.
Sermones quoque varij, libri duo.
Et quædam ſimilia.

Thomas à Iesu lib. 1. antiquitatis Carmelitanæ cap. 6.

*ANno 1350. floruit in Ordine S. Petrus Thomas, qui postquam in Religione sanctißimè vixerat, electus est Episcopus Pactensis, Archiepiscopus Cretensis, & postremò Patriarcha Constantinopolitanus. Fuit in diuinis literis doctissimus, in vita & moribus sanctissimus, obiítque post obtentas victorias multas contra fidei hostes, prænunciatis die & hora mortis suæ. Fuit miraculis illustris in vita, & post mortem, vti colligitur ex Martyrologio Molani & ex Trithemio. Mortuus est Famagustæ sub Carolo IV. Imperatore, & Clemente VI. anno 1350. * Eiusdem festum celebratur die VI. Ianuarij.*

* Vide num. 17.

APPRO

APPROBATIO RELIGIONIS.

VIdimus ex cõmiſſione R^mi. P. N. Miniſtri Generalis Fr. Ioannis Baptiſtæ à Campanea, & cum voluptate perlegimus *vitam & geſta B. Petri Thomæ* Ordinis B. Mariæ Virg. à Monte Carmelo Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Sedis Apoſtolicæ Legati à R. admodùm P. Fr. LVCA VVADDINGO conſcripta; in quibus omnia argumenti dignitati, ſcriptoris famæ, & ſacris regulis correſpondere comperimus, & proinde prælo & laude digniſſima iudicamus. Ad S. Iſidori Kalendis Aprilis an. 1636.

Fr. Ioannes Poncius S. Theol. Lector.
Fr. Thadæus Dalyus S. Theol. Lector.

LICENTIA R^mi. P. GENERALIS *Ordinis Minorum.*

PLacet vt vitam & geſta B. Petri Thomæ Ord. Carmeli à V. P. ſcripta typis committantur, obſeruatis Tridentinis & noſtris conſtitutionibus. Datũ in conuentu S. Mariæ de Aracæli, die 4. April. 1636.

Fr. Ioannes Baptiſta à Campanea
Miniſter Generalis.

APPROBATIO R^mi. P. DOMINI Hilarionis Rancati Præsidis Generalis Ord. Cistertien. & S. Inquisitionis Romanæ Consultoris.

EX cõmissione R^mi P. Nicolai Ricardij Magistri S. Pal. Apostolici vidi & attentè perlegi quæ hoc libello continentur, *vitam B. Petri Thomæ* & ad eam Notas, quæ consuetam authoris sui redolent pietatem, & eruditionem, eam scilicet, qua iam dictauit tot Analiũ volumina, post quæ & hic liber tutò & vtiliter imprimi, & legi poterit. Datum in Monasterio S. Crucis in Ierusalem die 12. Aprilis 1637.

DON HILARION RANCATVS

Imprimatur.

FR. NICOLAVS RICARDIVS S. P. Apostolici Magister.

EGo ſubſignatus in ſacra Theologia facultatis Pariſienſis Magiſter, vidi & legi librum, cui titulus eſt: *Vita Beati Petri Thomæ Epiſcopi & Confeſſoris Ordinis ſanctæ Mariæ de Monte-Carmelo*, in quo cùm nihil aduerſus fidem, neque bonos mores repererim, dignum qui in lucem edatur iudicaui. Lugduni in Conuentu ſancti Bonauenturæ, Fratrum Minorum, hac die quarta Septembris 1637.

FR. BERNARDINVS MOLLIASSON.

Idem cenſeo FR. BONAVENTVRA DELACLOSTRE Guardianus Conuentus S. Bonauenturæ Lugduni.

PERMISSIO.

VIſis approbationibus ſupra poſitis, librum inſcriptum, *Vita B. Thomæ Confeſſoris, &c.* à Laurentio Durand Bibliopola Lugdunenſi imprimi non impedio, prohibens ne quis alius dictum librum excudat. Datum Lugduni die quinta Septembris 1637.

PROST.

CONSENSVS.

Fiat, iuxta concluſiones Procuratoris Regij, Lugduni die quinta Septembris 1637.

SEVE.



INDEX BVLLARVM QVÆ B. PETRI THOMÆ RES GESTAS concernunt.

BVLLA I.

Mit

Inuitat

Indicat

FINIS BVLLARVM.



VITA B. PETRI THOMÆ[1] EPISC. ET CONFESSORIS[2] ORDINIS S. MARIÆ de Monte-Carmelo.

1.

2.



I. IN Aquitania, nobilissima Galliæ prouincia, ignobilis & obscurus erat vicus Salinarum [3] in Præfectura Petracoriensi. Meliori tamē fortuna sortem mutauit, & illustre nomē obtinuit ab illustri partu, ab insigni pietate viro; qui plus patriæ reddidit, quā accepit. Is est Petrus Thomæ, in quo cōtrariis studiis natura & gratia decertasse videntur; illa, vt sua dona negaret; hæc, vt cuncta concederet. Ortu humilis, dignitate sublimis; statura pusillus, animo excelsus; domi incognitus, per orbem clarissimus; facultate miser, Regum opibus superior, manifesto docuit exemplo humanis longè præstare

B: Petri patria.

3.

 diui

diuina ; & virtutis rationem habendam priùs esse, quàm sanguinis.

Natales obscuri.

II. Patrem adeò obscurum habuit, vt cum ipso nomen interierit & genus. Armentis pascendis, & scindendis aruis conductitius, ægrè sufficiebat subleuandæ egestati filiorum. Periit ex duobus masculis vnus ; & ne Petrus periret inediâ, sortem probaturus meliorem, puerulus abscessit, relicta vnica sororcula parentis industriæ. In Montispensierij castro ostiaria mendicitate vitam traducenti honèsta subiit cogitatio literis incumbendi, quibus socordem illam vitæ rationem potiori commutaret, & summæ parentis egestati aliquando subueniret. Improbo labore ita agreste coluit ingenium, vt breui temporis interuallo disertè legendi, rectéque scribendi ea facultate polleret, qua sibi honestiùs consuleret, atque alios docendo præiret. Cœpit magistri officio fungi, & suis stipendiis mereri, superuacaneis licèt horis aliorum se subderet disciplinæ Latiæ linguæ studiosus. Primis rudimentis instructus ad altiora suspirans, in Aginnensem [4] profectus vrbem, humanioribus literis, & Philosophiæ præceptis operam eo fructu nauauit

Recedit è domo paterna.

Dat operam literis.

4.

uauit, vt ante annum ætatis vigesimum ex discipulo factus Magister, plurimos habuerit auditores.

III. Prior cœnobij Aginnensis institu- ti Carmelitani, comite sacræ Theologiæ professore, casu incidentes in adolescentem, ex modesto eloquio, ingenua facie, & viuido ingenio in bonam erecti spem maioris incrementi, suo concupierunt sodalitio. Multa polliciti vt vitam decentiùs viueret, & ad potiora studia aditum aperiret, in suam duxerunt ædem, eiúsque disciplinæ crediderunt religiosos tyrones in humanioribus literis, & liberalibus artibus instruendos. In eam venerat vrbem Prior Condomensis, eiusdem instituti, ingenuámque conspicatus adolescentis indolem, persuasit, vt in suo consorrio vitam iniret religiosam. Condomum [5] profectus absque mora Monachis nomen dedit, cunctísque approbantibus tyrocinium magno virtutum lucro compleuit. Iussus per biennium adolescentulos consodales docere idioma Latinum, inde translatus est Aginnum, vt artes prælegeret liberales. Hoc perfunctus munere annos tres magno iuuenum profectu, ad sacerdotium inuitus promo-

Aginni docet inter Carmelitas.

5. *Fit Condomi Carmelita.*

Inuitus initiatur sacerdotio.

uetur: indignum quippe se dicebat, qui ad sublime hoc fastigium, Angelis reuerendum, eueheretur. Ante & post susceptos sacros ordines, violentiæ illatæ, & irrogatæ iniuriæ humiliter expostulabat Superiores, & quod vltimum sibi superesse videbatur remedium, Virginem Deiparam, aliósque Diuos interpellabat, vt temeritatis & irreuerentiæ veniam exorarent, suámque opem ferrent tanto oneri sustinendo.

IV. Aliò missus Theologicis studiis operam daturus, tanta laborabat rei necessariæ penuria, [6] vt vel exercitationes has intermittere, vel summam oporteret pati miseriam. Ita cœnobij paupertas, vel superioris incuria, tenáxve natura ferebat, vt vestes, libros, supellectilem omnem literariam propria acquirere industria tam necesse, quàm difficile esset adolescentulo, qui neque amicos in terra aliena, neque parentes in propria habebat, à quibus sperare posset auxilium. His curis agitato, & B. Virginis Mariæ patrocinium imploranti, ipsa post Matutinas horas apparuit, vt bono animo esset, admonuit, atque vltrò promisit studijs prosequendis non defutura necessaria.

6. B. Virgo suppeditat studiis necessaria.

Hoc

Hoc excitus oraculo ſpem meliorem concepit, redditurúſque pro tanto beneficio, quas poſſet gratias, ſummo manè Miſſæ Marianæ pio affectu obtulit ſacrificium. Vix priùs abſoluit, cùm à quodam probo viro tot auri acceperit numiſmata, quot indigentiæ ſufficiebant depellendæ. Ab illo tempore nullis premebatur rei familiaris anguſtiis, quibus non manifeſtè probaret ſupernum hoc adfuiſſe ſubſidium.

V. Æmulorum paſſa inuidiam magnis premebatur aduerſitatibus Carmelitana religio. Mâtri compaſſus pius alumnus, preces fudit ardentes ad B. Virginem, vt ſolito ſuccurreret adiutorio. Apparuit in ſomnis B. Virgo ipſa nocte Pentecoſtes, ſpopondítque pium inſtitutum ſuo cultui addictiſſimum, nullis malis conterendum, ſed perpetuò duraturum. [7] Ita frequenter ſuo illum dignata eſt aſpectu, ſemper in penuriis benefica, ſemper in tribulationibus propitia. Peculiari eius patrocinio, & miræ tutelæ acceptum referebat, vt immaculato calle ſpurcitias tranſierit carnis, & mentem ab immundis affectibus ſeruârit illibatam.

Et perpetuum promittit religionis patrocinium.

7.

Eius ope virgo permanſit.

VI. His aliiſq; acceptis beneficiis, San-

Miro fertur in B. Virginem affectu.

ctissimæ deuinctus, incredibili erga eam exarsit deuotionis affectu, proposuítque nullum prætermittere obsequium, quod in tantæ benefactricis cederet honorem. Scripto peculiari libello eius ab originali peccato indemnitatem constanter asseruit, & reliqua Virginis priuilegia doctis celebrauit encomiis. Quotiescunque orabat, laudes miscebat Mariæ; quæcunque obuia Mariæ simulacra reuerenter salutabat; locuturus, nomen præmittebat Mariæ; antequam mensæ accumberet, Mariana promebat elogia, & cibum putabat insipidum si sacræ Virginis nō condiretur memoria. In laboribus, in angustiis ad sacram hanc aram conuolabat, insidiisque inimici hac arte occurrebat, vt singulis ictibus clypeum opponeret nominis Mariæ, cuius præsens semper sentiebat auxilium. Ingens hic pietatis ardor ita transmutauit affectum, mentémque possedit, vt nihil aliud sapere, nihil affari, nihílque videretur audire. Ex abundantia cordis os loquebatur: visum quippe est eius cordi insculptum sacratissimum nomen Mariæ, [8] non aliter quàm
8. martyris Ignatij præcordiis diuina Iesu vox apparuit impressa.

Abso

VII. Absoluto secundùm sui Ordinis morẽ curriculo Theologiæ, denuò legit Philosophiã in vrbe Aginnensi, mox Burdigalæ, deinde apud Albienses, crescente vbique opinione indolis singularis. Mittitur itaque Lutetiam, vt inter illustres nobilissimæ scholæ Magistros ingenium ampliùs excoleret, & viam sterneret ad gradus Academicos. Triennio elapso, institutus est sacræ Theologiæ professor, in ciuitate Cadurcensi, vbi non minùs doctus videbatur in cathedra, quàm facundus in suggesto. Singulari dicendi facultate omnes in admirationem rapiebat, & persuadendi dexteritate quò volebat, etiam impiorum corda flectebat. Mirum illud: Solis ardore, & aquæ penuriâ arescente segete, & aruis exustis, decretum est vt publicæ fierent populi, & Cleri supplicationes, prædicarétque Petrus pœnitentiam ad auertendam irati numinis vindictam. In apertum deduxerat campum multitudinem vniuersam, excitatísque ad pœnitendum animis, vadem dedit sacratissimam Virginem Dei Genitricem pluuiæ copiosæ. Absoluta concione, magnis aquarum profluuiis irrigata est vniuersa terræ superficies, quibus

Philosophiã diu professus mittitur Lutetiã.

Cadurci miraculosè pluuiã prædicit.

& terra dedit fructum suum, & beneficij author maiori cœpit haberi reuerentiæ.

Parisiis docet.

VIII. Declinaturus propter hæc Cadurcensium honores, sæpè rogauit aliò transferri; tandem remissus est Lutetiam, vbi per quadriennium Magistrum Sententiarum interpretatus, Baccalaurei suscepit insignia. In suam reuersus prouinciam, amandatus est ad Comitia generalia, Mediolani cogenda, sub Petro Raymundo Ordinis Primicerio, ibique omnium suffragiis vnus acclamatus est, qui in Curia Pontificia sui sodalitij negotia procuraret.[9] Non adeò probauit electionem Generalis Præfectus, non quòd virum odio habuerit, aut hoc munere indignum iudicârit, sed timuit ne propter cõtemptibilem personam, & humilem staturam haberetur despectui. At homines non vlnis, sed meritis commensurandos; nec quantitatis, sed virtutis molem esse considerandam, Petrus edocuit, infrà paucos dies magnum consecutus hominum applausum. Auinionem, vbi tunc Pontifex Clemens VI. residebat profectus, gratiam iniit, nullo suo studio, sed manifesta virtute Talairandi, Comitis Petracoriensis, Cardinalis S. Petri ad Vincula,

Ann. 1343 Instituitur sui Ordinis Procurator.

9.

Magni fit in Curia Pontificia.

cula, qui in sua prouincia natum, disertum concionatorem, & religiosi Ordinis honorifico munere condecoratum, in conspectum vocauit, atque in prandio voluit commensalem. Orta inter conuiuas controuersia Theologica, Petrus à Cardinale rogatus, suam protulit sententiam, ea modestia & sapientia, vt omnium sibi animos conciliârit. Deinde facundis concionibus & eruditis disputationibus magno cœpit nomine clarere, & inter Cardinales æquo in pretio haberi.

IX. Petracoriensis ad maiora aperiens aditum, persuasit, & à Generali Præfecto obtinuit, vt Lutetiam rediret, Doctoratus lauream consecuturus, fertur vices tum suppleuisse, iniuncti muneris Procuratoris generalis Andream Corsinum, virum sanctissimum, nuper ab Vrbano VIII. qui feliciter regnat, inter Sanctos relatum. Desudandum erat in illa palæstra quinque annorum exercitationibus Theologicis, & sacræ Scripturæ commentationibus, vt iuxta Vniuersitatis leges ad Doctoratum perueniret: sed ineunte anno tertio contendentibus Cancellario & Doctoribus, circa numerum & qualitatem laureandorum, in eam itum est senten-

Redit Parisios laureandus.

tiam, vt quatuordecim Baccalaureis sæcularibus adiungeretur vnus Regularis, omniúmque suffragiis Prælatus est Petrus vniuersis: licèt enim tempus deficeret, abundabat virtus & doctrina. Regressus Auinionem rexit sui Ordinis scholam, negotia sodalitij peregit, disputationibus externis continuò adfuit, frequenter prædicauit, ídque aliquando ter in die vno, prout populi necessitas, vel festorum exposcebat solennitas. Sæpè etiam in Pontificis & Cardinalium consessu conciones habuit, pro auditorum dignitate grauissimas, summa reuerentia errata reprehendens, & æqua dexteritate tantos viros ad perfectiora perurgens.

Regressus in Curiã suum Ordinẽ mirificè illustrat.

X. In concionibus religioso & Christiano vtebatur ornatu, è sacræ Scripturæ penu, vel è Sanctorum Patrum promptuario pulchris flosculis decerptis. Sed postea fructum colligebat, adductis seriis Prophetarum comminationibus, explicatísque tremendis Dei iudiciis, quibus lacrymas vberrimas exprimebat, & duros quosque peccatores ad pœnitentiam excitabat. Pro festorum varietate, & argumentorum qualitate, aliquando sales & facetias modestè, & prudenter miscebat, risum

Venustas & efficacia prædicationis.

risúmque mouebat: sub finem autem grauiter & seuerè concludebat discursum, ea infundens auribus, quæ corda penetrabant, & salutis immemores in se reuocabant. Prout volebat, auditores flectebat, ea erat dicendi venustas & potentia, ea, quod potissimum est, vitæ & doctrinæ concordia, ísque zelus animarum, vt pro vnaquaque vellet se impendere & super-impendere. Non peculiari affectu, non acceptione ferebatur personarum; adeò ignotos sicuti familiares; ita miseros & egenos, vti nobiles & locupletes; non minùs exteros, quàm domesticos diligebat: paratus omnẽ subire laborem, etiam vitæ periculum pro conuersione peccatorum. Incredibile est, quot insignes nebulones ad frugem reduxit, quot famosos peccatores in salutis semitam reuocârit, quot sensui & voluptatibus non tam infixos, quàm immersos, è vitiorum barathro extraxerit, quas vanitates & inania comptarum mulierum ornamenta, quibus irretiri solent oculi, procul ablegârit: ita vt omnem curiam Auinionensem visus sit solus verbi virtute, & vitæ exemplo reformasse.

XI. Inter tot labores nulla in re molliusculè

Qualis in religione conuersatio.

culè indulgẽs corpori. Victu tenui & vestitu vtebatur vulgari, communi in mensa communes duntaxat cibos admittens. Regularem vitam non tam obseruabat, quàm alios obseruare docebat, disciplinæ Monasticæ institutis diligenter inhærẽs: in eminẽtiori sui Ordinis gradu nihil de pristino rigore remittens, neque quidquam sibi vltra inferioris Ordinis consodales attribuens. Conueniebat ad vniuersa Religionis munia, neque vilia aspernabatur ministeria. Singulis noctibus matutinis aderat precibus; longam deinde protrahebat orationem, & summo manè incruentum offerebat Missæ sacrificium, vt tranquilliùs absque circumstantium strepitu sacrosancta contemplaretur arcana, & liberiùs circa ista posset immorari. In altari plus se didicisse dicebat, quàm in schola, & multa sibi à Beatissima Virgine explicata sacræ scripturæ arcana, quæ communem hominum captum superabant. Ita multa inter docendum in scholis, & inter concionandum in templis occurrebant, quæ nunquam antea cogitauerat, & ex ipsa doctrinæ qualitate videbantur magis diuinitùs infusa, quàm humanitùs acquisita. Præmissis semper:

ſemper diuinis, curabat humana; negotia domi expediebat, & ſollicitabat in Curia, aduentantes confratres humaniter excipiebat; quæ licebant, amicè concedebat: quæ non poterat, dulci verborum lenimine denegabat.

XII. His ornatus virtutibus, in omnium ore verſabatur, omniū affectus obſtrinxit, felicémque ſe putabat vel domi videre, vel colloquio vti, vel in plateis poſſet occurrere. Probârant non ſemel confratres magno ſuo lucro, generalem erga eum populi beneuolentiam; ſi quid enim cœnobio deerat, Petro petēte, vel inſinuante, extemplò mittebatur. Redactos fratres Auinionenſes ad ſummam egeſtatem vno ſubleuauit die, collectis per vrbem paruo gyro mille florenis. Vbicunque inter ſuos habitabat, ſimilia præſtabat charitatis ſubſidia, id fraternè proſpiciens, vt ſua in populo authoritas conſodalium famularetur obſequio. Pari nexu deuinxit Purpuratos Curiæ Patres religioſo ſtudio, debita reuerentia, inſigni doctrina, & in rebus arduis ſalutari conſilio. Præ reliquis habuit fautores & propitios Talairandum, quem dixi, Petracorienſem, & Stephanum Lemouicenſem,

Ab omnibus diligitur.

Suis fratrib. proficuus.

ſem, Epiſcopum Oſtienſem, ſacri Collegij Decanum, mox ſummum Pontificem, inſignem ſuum benefactorem.

In funere Clem. VI. multas habuit conciones.

XIII. Abierat ex humanis Clemens Pontifex, expletíſque exequiis, poſt dies aliquot tranſlatum eſt cadauer, vti ipſe ſupremis tabulis præſcripſit, ad Monaſterium Caſæ-Dei, in quo Monachum egit, & Abbatis dignitate præfulſit. Petrus rogatus à Cardinalibus & Clementis conſanguineis, ſe funeris comitem adhibuit, & in duodecim ſtationibus, antequam peruenirent ad Monaſterium, totidem habuit conciones. Illato corpore in marmoreum, quod ipſe parauerat, ſepulcrum, poſtremi deferendi erant honores, & lõga concione funus terminandum. Graue erat Petro hoc munus ſubire, quippe ex itinere fatigato, & moleſta raucedine laboranti. Deprecantibus, qui aderant, ne hoc vltimo deeſſet officio Pontifici, de ſe benemerenti, ardentes fudit preces coram Virginis ſimulacro, magna fiducia ſuggeſtum conſcendit, eáque voce prædicauit, qua clariorem, aut firmiorem ſe nunquam ſenſerat habuiſſe.

Creatur Innocentius VI.

XIV. Domum reuerſus experiri cœpit fauores noui Pontificis Innocentij VI. ex

Epiſco

Episcopo, vt dixi, Ostiensi & amico renunciati. Implacabili odio dissidebant Genuenses & Veneti, cruentísque bellis in alternam ruebant perniciem. Hi in adiutorium conuocârunt Petrum Aragoniæ Regem, & Imperatorem Constantinopolitanum Cantacuzenum; illi Ioannem Vicecomitem Antistitem & Regulum Mediolanensem. Sub finem Pontificatus Clementis miserabili clade vtrimque decertatum est circa Bosphorum inter Chalcedonem & Constantinopolim, & attritis viribus accensæ sunt magis faces inimicitiæ. Vt viam inirent concordiæ, quam sæpè tentauit Prædecessor, Innocentius misit ad Venetos Fortanerium Vassallum ex Minorita Patriarcham Gradẽsem, mox Cardinalẽ, aliàs ad vtrãque Rempublicam à Clemente amandatum, atque ad Genuenses ac Mediolanenses Petrum legauit:[a] & paulò post ad Ioannam Neapolitanam Reginam, circa fluctuantis regni seria negotia destinauit. Deinde anno [b] sequenti ad Episcopatus Pactensem[10] & Lipariensem, in Sicilia vnitos, per obitum Petri Theutonici Minoritæ Pastore carentes, assumpsit. Demum Nuntium misit ad Stephanum Rassiæ

Mittit Petrum ad Genuenses & Mediolanenses.

[a] An. 1353.

Et ad Reginam Neapolitanam.

[b] An 1354

10.

Creat Episcopum Pattensẽ.

Nuntiũ amandat ad Regẽ Rassianorum.

Rassiæ Regem simul cum Bartholomæo etiam ex Minorita Episcopo Traguriẽsi, qui aliàs ibidem laudabiliter fidem promouit. Magnæ erant illo in regno controuersiæ inter Græcos schismaticos, & ritus Latini professores. His fauere videbatur Rex, & capere Romani Pontificis auxilium contra Ministros, à Patriarcha Constantinopolitano submissos, vt Præsules Latinos,& ritus procul facerent Romanos.[c] His ergo malis cauendis amandantur Bartholomæus & Petrus, commissa sibi ampla potestate in Rassiæ, Seruiæ, Albaniæ, & Sclauoniæ dominiis, & terris adiacentibus, omnia constituendi secundùm Apostolicas sanctiones.

[c] Vide in appendice Bullã 3.&seqq.

XV. Longiori circuitu Petrus Italiam, Illyricum, magnam Hungariæ partem dimensus, vltra longissimi itineris molestias multa superauit vitæ discrimina. In sinu Adriatico parum abfuit, quin Turcis cederet in prædam: cùm enim nautæ nihil aduersi suspicantes, vicinæ rupi nauem vectoriam applicarent, vt pranderent, ex insidiis prodiit Turcica prædatoria, remis & velis fugientis cursum facilè superatura. In tanto periculo constituti omnes Missum Apostolicum rogârunt, vt pro sua

Mirabiliter præseruat̃ socios à captiuitate.

sua dignitate,& apud Deum authoritate supplicaret,ne Christiani nominis hostibus fierent in seruitutem. Genuflexus orauit, & illicò densa nubes cœlo vndique sereno,inimicorum nauem ita obumbrauit, vt Christianis commodè licuerit elabi. Aliàs in eadem naui periclitabatur ortâ sæuâ procellâ, neque spes vlla erat salutis collidente vndâ ratim in littus. At ille Deum deprecatus, obtinuit, vt mirabili modo mortem omnes euaderent. Arescentibus hominibus præ confusione sonitus maris, & neglecto gubernaculo, iactatam inter montes aquarum nauiculam,certissimè in syrtes,aut cautes impingendam, tumentes fluctus in altum erexerunt,& in lacum à mari interiectâ terrâ separatum, nautis etiam incognitum, in ictu oculi transuexerunt. In hac tuta statione licuit quassatæ nauis rimas lustrare, & damna reficere, sedata tamen tempestate, vi multa & adiutorio opus fuit, vt è lacu per terram interpositam in mare retraheretur. *Et à naufragio.*

XVI. Per multa maris terræque discrimina tandem peruenit ad locum destinatum suo muneri obeundo.Hîc noua pericula,noui labores & insidię.Rex ille feroci

vultu, & procera corporis mole terribilis, eam ſibi volebat ab accedentibus exhiberi reuerentiam, vt genuflexi in ſolio ſedentis pedes oſcularentur. Indignum ratus Petrus, vt Epiſcopali nobilis dignitate, & ſupremi Pontificis Romani functurus legatione, ita vileſceret, conſtanter renuit, & Miniſtros Regios ita præmonentes noluit obaudire. Miſſis vltrò citróque nuntiis, tandem admiſſus eſt ad Regis colloquium, & ille toruo vultu, ac ſuperbo faſtu excepit; hic autem, quâ Nuntium docuit Apoſtolicum, ſalutauit reuerentiâ. Circumſtantes Regis Satrapæ muſſitare, Rex ipſe cœpit frendere, & Petrus quidem conſtanter reſpondere rem iniuſtam poſtulari. Statuta legationi explicandæ die intrepidus rediit, paulatímque detexit dolosè egiſſe cum Pontifice Regem, & Apocriſarios non tam Romanæ religionis affectu, quàm declinando bello Hungarico amandaſſe. Ludouicus Pannoniæ Rex vindicandæ religionis iniuriæ, & ſchiſmaticis comprimendis multum conſcribebat militem; Raſſianus, vt paratum ſibi malum auerteret, deſiderium venditabat propagandi & ſtabiliendi in ſuis dominiis vnius

Intrepidè tuetur dignitatem ſedis Apoſtolicæ.

dumta

dumtaxat ritus Romani. Luit poſtea iuſtas pœnas ſuæ fraudis, à Ludouico contritus & humiliatus. Multa tamen cum Petro tunc videbatur paciſci, & in fidei Romanæ incrementum æquis aſſentiri articulis, quos deinde quæſita occaſione reſcidit. Tandem viriliter agente Legato, manifeſtè ſe prodidit ritus Græcanici ſectatorem, & ſchiſmatis fautorem, in eámque prorupit inſaniam, vt ſeuero edicto, tubis clangentibus, interdixerit omnes, ſub pœna vtriúſque oculi eruendi, Petri ſacrificiis. Hic depoſita omni formidine, Romanæ fidei profeſſores monuit, & publico præconio intimauit, ſe proximo die feſtiuo ſacra ſolemni & Pontificia maieſtate facturum, vtque omnes adeſſent propoſitis Indulgentiis inuitauit. Plurimi venerunt etiam viri nobiles & heroës, Deum magis quàm Regem timentes, cui poſtea obiicienti leges latas, reſponderunt: ſe ſemper palam & in aperto religionem profeſſos Romanam, neque æquum fore, vt Legato Pontificio celebranti, & ad talia ſolemnia, in illa regione, vel nulla, vel rariſſima, inuitanti deeſſe viderentur; longè etiam ab illa eſſe cogitatione vt à Romano capite

permitterent ſe membra diuelli; aut propter lumen oculorum in fide cœcutirent. Petrus etiam grauiter, & conſtanter fallaciæ monuit, & perfidiæ, quod doloſè affectum protēderit vnionis cum Eccleſia Latina, qui apertè ritus commendabat aduerſos, & errores fouebat Græcanicos. Tandem multis prudenter in Clero inſtitutis & reductis ad concordiam Romanam plurimis Eccleſiis per inſidias & varia vitæ diſcrimina reuerſus eſt ad curiam Pontificiam.

Amādatur Pacificator ad Hungaros & Venetos.

[d] Ann. 1356.

XVII. Innocentius curam omnem & cogitatū fidei propagandæ, & Terræ ſanctæ Chriſtianis aſſerendæ dirigebat, dolebátque Ludouicum Hungariæ Regē tanto facinori maximè opportunum, bello Veneto diſtractum. Deſtinauit[d] Petrum & Fr. Stephanum Ord. Minorum Electum Zagabrienſem, vt pacificarent, & Regem in Raſſianos, alióſque ſchiſmaticos excitarent. Vt verò libentiùs & animoſiùs Rex, Dei & Eccleſiæ Catholicæ cauſam ageret, authoritatem conceſſit Nuntiis,[e] S. Petri vexillum conferendi, Catholici exercitus Imperatorem conſtituendi, & in ſuppetias belli decimas trium annorum, aliáque ſubſidia tempo-

[e] Vide Bullam 12. & ſequētem.

ralia

ralia & ſpiritualia conferendi. Superatis Alpibus Venetias abierunt Nuntij, & Ioanni Gradonico Duci, clariſſimóq; ſenatui Pontificis ſtudium expoſuerunt pacis cum Ludouico ineundæ. Non abhorrebant illi pacem, modò in æqua fœdera Ludouicus conueniret. Ad Regem igitur per medias confertáſque acies profecti, aduentus cauſam, & cum Venetis pacta retulerunt. Honorificè exceptos gratiſſimè Rex audiuit, rebus omnibus neceſſariis inſtruxit, & Petrum maximè, quippe doctè prædicantem, bona quæque prudenter conſulentem, & familiariter colloquentem ſummis affecit honoribus. Vexillo, & Imperatoris munere admiſſis, graui ſacramento ſpopondit ſe fidei iniuriam inter Raſſianos pro viribus vlturum, Terræ ſanctæ aditum aperturum, & Venetis integras, quas in ſuam redegerat poteſtatem, Dalmatiæ, Iſtriæ, & Fori-Iulij prouincias reſtiturum. Eam appoſuit conditionem, vt Veneti quotannis in memoriam recepti beneficij, & icti fœderis ſignum, equum album Hungariæ Regibus offerrent. Pactum hoc inhonorum & intolerabile dixerunt Veneti; quippe Hungaris ſe tributarios pro-



ſiteri rem indignam, & indecoram iudicabant, multíque Petrum verbis grauiter laceſſerunt. Inter omnes excellit quidam Epiſcopus, nobilis proſapiæ, & magnæ authoritatis in Senatu, qui à pace ineunda vehementiſſimè diſſuadebat. Magno dolore correptus Petrus increpare cœpit pacis aduerſarios, & prædicere diuinam vltionem. Nec longè abfuit, etenim Epiſcopus die ſequenti dùm ad exercitus Præfectos proficiſci vellet, vt ad belli proſecutionem vrgeret, & in vrbe togatos Patres à pace deterreret, repentina morte ſublatus eſt; & Veneti plagis multis attriti minori lucro pacem poſtea inierunt.

[c] Eodem anno.

Deſtinatur ad Imperatorē Græcorum.

XVIII. Non plenè hîc abſoluit Petrus, quando longiori & moleſtiori adiudicatus eſt [c] legationi obeundæ. Ioannes Palæalogus, Græcorum Imperator, deuicto Ioanne Cantacuzeno Imperij occupatore, magnum præferebat (ſiue verè, ſiue dolosè, vt Pontificem ſibi conciliaret, & contra Imperij inuaſores auxiliatorem haberet) vnionis Græcorum & Latinorum deſiderium. Solemni præmiſſo iuramento, obedientiæ præſtandæ Romano Pontifici, miſit Auinionem nobiles

Apocri

Apocriſarios duos,qui hæc referrent, & ſubſidium peterent contra Turcarum inuaſiones. Gauiſus Pontifex Legatos honorificè excepit, nec cunctandum in re graui putans, binos etiam deſtinauit ad Imperatorem Nuntios, Petrum Thomæ, & Gulielmum Minoritam, Siſopolitanum Epiſcopum, qui in pio propoſito confirmarent, & ſuaderent, vt quam per literas miſerat, fidei confeſſionem, ore profiteretur publicè in Prælatorum concione coram Patriarcha Conſtantinopolitano, atque ita facienti Pontificis Chriſtianorúmque Principum auxilium contra fidei hoſtes pollicerentur. Illi impigrè iter aggreſſi,contemptis,ſuperatíſque longæ nauigationis periculis, Conſtantinopolim peruenerunt,vbi diu diſceptantes cum Græcis, habitíſque publicis, & doctis congreſſibus, induxerunt Imperatorem vt promiſſa compleret, & quo poterat ſtudio vniuerſum Imperium ad fidei vnitatem conuocaret. Mouit plurimum Petri ſingularis doctrina, probata virtus, vita exemplaris, & prodigioſa opera, quibus doctrinam confirmabat, omnéſque in ſui admirationem, & æſtimationem rapiebat. Toto tempore, quo

Vide Bullam 14. & 15.

illic hæsit, corporis maceratione, ieiuniis, ciliciis, & continuis orationibus curabat cœleste numen inclinare, vt negotium hoc prosperare dignaretur, & quod schismaticorum pertinacia demerebatur, piis exercitiis, & deuotis obsequiis assequi studebat, vt iam tandem Deus misereri vellet numerosissimæ genti, in errorum tenebris cœcutienti.

Cyprum appulit.

XIX. Reuersurus vt suæ legationis rationem redderet, Cyprum appulit, vbi graui correptus infirmitate summè beneficos probauit Hugonem Regẽ, & Leonoram Reginam, Principis Petri Arragonij, mox Minoritæ, filiam, quæ propriis manibus dapes, & valetudini opportuna præparabat. Pristinæ restitutus sanitati, in Palæstinam nauigauit, redemptionis nostræ incunabula coràm veneraturus. In sancta ciuitate Ierusalem, quam religiosè, quanto affectu, quibus lacrymis, loca sancta lustrauerit, quali deuotionis ardore ad sanctum Christi sepulcrum, & ad præsepe Bethlehemitanum sacrificauerit, vix posset explicari. Spectatores vniuersos ad lacrymas & nouos feruores excitabat, & qui priùs feruentissimi videbantur rei Dominicæ cultores, ad rarum

Inde in Palestinam abit.

Loca sãcta deuotè inuisit.

Petri

Petri exemplum ſupinæ ſe accuſabant negligentiæ. Quotquot occurrebāt Chriſtianos, maximè qui Ieroſolymis degebant, ad dignam ſacrorum monumentorum venerationem hortabatur, & flocci pendendos omnes cruciatus dicebat, vt ſeueros Chriſti cultores fidei contemptoribus obiicerent. Zelum hunc in omnibus accendiſſe, & Legatum Romanum eſſe, inter Saracenos percrebuit, decreuerúntque vel abigere, vel occidere. Ita referentibus, qui circunſtabant, ſeruis reſpondit: nihil ſibi hoc nuntio acceptabilius neque optabilius accidere poſſe, quàm eo in loco occumbere, vbi Chriſtus pro humano genere ſanguinem ſparſit. Sequenti die circa horam tertiam in Monte Sion in ædem fratrum Minorum omnes conuocauit Chriſtianos, omníque pulſo timore doctiſſima & longa hortatus eſt oratione, vt conſtantes in fide veri eſſent excubitores Chriſti ſepulcri, & pro repellenda quacunque ſui inſtitutoris iniuria fortunas omnes, & vitam ipſam profunderent. Cœtus hic Chriſtianorum malè habuit Saracenos, & templi foribus adſtantes, mala omnia imprecabantur Legato, paratæque mortis minas addebant.

Saraceni mortem intētant.

Ille pericula contemnit.

bant. Ille animo intrepidus, trepidantibus auditoribus, sermonem prosecutus est in detestationem legis Mahometanæ, & Christianæ commendationem. Concione absoluta in publicum prodiit, transiénsque per medium illorum ibat, minas contemnens & execrationes, nemine audente manus iniicere. Illinc regressus in Cyprum, iterum à Rege honorificè excipitur, maiori item studio postquàm audierat, quæ Ierosolymis egerat, & qualiter peculiari Dei tutelâ, ferocientium Turcarum sacrilegas manus euasit.

Frequentes patitur extases.

XX. Famagustæ in cœnobio Carmelitarum per dies aliquot commoratus, tanta humilitate & demissi animi affectu sacratissimam Virginem solebat deprecari, vt solus noctu amotis arbitris, & luce, humi prostratus longas protraheret orationes, multoties vi suauissimæ contemplationis in extasim factus. Accidit aliquando, vt ex Sacellanis vnus cubiculum absque luce ingressus, in sanctum virum impegerit, desupérque ceciderit, absque vllo illius sensu aut motu. Aliàs super orantis cubiculum diluculo ante Solis ortum viderunt quamplurimi Græci, Armeni, aliíque schismatici, præter Orthodoxos innume

Orãs indicatur luce calesti.

numeros, fulgentissimam trabem igneam è cœlo descendere, & diu desuper illuxisse; in cuius rei, totius fermè vrbis testimonio comprobatæ, memoriam decreuerunt illius cœnobij Patres, vt deinceps singulis diebus ante auroram Missæ fieret sacrificium.

XXI. Multis ea in insula relictis virtutis, doctrinæ, & sanctitatis vestigiis, tandē reuersus est Auinionem, vbi à Pontifice & Cardinalibus miro applausu, & omnium gratulatione exceptus est. Audiens autem Innocentius sæuissimos fidei hostes Saracenos partes omnes Romaniæ, maximè Patriarchatus Constantinopolitani, & vrbem Smyrnarum, sedi Apostolicæ subiectam, continua hostilitate diuexare, tertio post regressum anno [f] illuc remittere decreuit. Cur ita fecerit, ipse suo diplomate expressit: *Quia*, [g] inquit, *vir timoratus & prouidus, & in lege Domini, ipsáque fide Catholica admodùm eruditus, ac frequenter in arduis, & præsertim in illis partibus comprobatus, clarus scientia, plenúsque multis virtutibus prædicabatur.* Translatum itaque ab Episcopatu Pactensi, alia pinguiori & commodiori ecclesia Coronensi, [h] sub Archiepiscopatu Patracensi, Vene

[f] Anno 1359.

[g] Vide Bullam 18. & seqq.

[h] *Transfertur ad Ecclesiam Coronēsē.*

VideBullam 17.
Instituitur Legatus Apostolicus in Romania.
VideBullam 18. & seqq.

Venetis subiecta, cohonestauit. Deinde plenam ei commisit Legati Apostolicæ Sedis authoritatem in amplissimo Patriarchatu supradicto, in regnis Cyprio, & Cretensi, in Smyrnarum, Athenarum, Thebarum, Corinthij, Corphij, Nixiensi, Colocensi, Duratiensi, Neopacensi, & Neopatriæ Archiepiscopatibus ac prouinciis; conscribendo militi, & exercitui Cruce signatorum, suprema adiecta potestate, præfecit, Inquisitorem generalem instituit, multis priuilegiis variáque facultate decorauit.

Generosè suo fungitur munere.

XXII. Hac insignitus potestate euellendi, destruendi, plantandi, & ædificandi, generosam fortitudinem indutus est, & præcinxit se virtute. Etenim verbo ex gladio fidei hostibus terrorem incussit, schismaticis, quorum ingentem numerum ad Ecclesiæ Catholicæ vnionem reduxit, disputationibus & concionibus obsistebat; Saracenis paratas classes, & confertas acies obiiciebat, per omnes partes discurrens se murum pro domo Domini opponebat. Modò Smyrnæ, modò Rhodi, aliquando in Cypro, aliquando in Creta, aliàs in conspectu vrbis Constantinopolitanæ Turcis occurrebat, & nullo loco con

co consistere passus, sæpissimè profligabat, gloriosè vbique triumphans. In manu eius videbatur Dominus prosperare opus suum, & sub tanto duce saluare populum suum à leone rugiente, qui circuibat vniuersas illas prouincias, vt diuino eriperet, & suo subiugaret imperio. Licèt manus eius excelsa, non tamen fecit hæc omnia, sed Dei virtus, & potentia, mirabilis in maiestate, & faciens prodigia. Armorum quippe potentiæ diuinam adiunxit virtutem signis mirificis & portentosis miraculis barbarorum retundens sæuitiã. In his multa maris, terræque subiuit discrimina, prædonum iniurias, & militum sustinuit insolentiam, pericula tulit ex insidiis, & grauiora sensit in falsis fratribus. Diuino tamen roboratus auxilio, malis omnibus superior, animóque infractus, nihil, quod ad suam legationem spectabat, omisit, eáque felicitate suum munus peregit, vt Ecclesiæ fines dilatârit, & Turcarum represserit potentiam. Inter supremos illorum Principes numerabatur Alti-loci Dynasta, quem sedi Apostolicæ vectigalem fecit, eáque dexteritate, vt primò vi subegerit, mox mira benignitate & clementia

mentia Christianis fecerit propitium.

XXIII. Sub hoc tempus perniciosa quædam hæresis in insula Cretensi pullulare cœperat inter nobiles, & viros primarios. Petrus vt erat integræ fidei ardens Zelator, in Candiæ vrbem aduolauit, atque inquirere cœpit in insanæ doctrinæ authores & fautores. Dux Cretensis ab infectis stimulatus in primo congressu, non vti Legatum, sed tanquam hostem, & famæ Cretensium insidiatorem inurbanè excepit, mináſque adiecit si propositam inquisitionem vellet vrgere. Petrus iniuriarum patiens, & offensam dissimulans, impauidè inchoatum prosecutus negotium, affixis publicè censuris præcepit, vt se sisterent, qui prauo dogmati vel initium dederunt, vel auxilium. Præcipuus author & importunus magister erat quidam Ducissæ cognatus, qui magno fastu numerosa sectariorum stipatus caterua, accedens ad Legatum visus est potiùs hostiliter aggredi, quàm præceptis obedire. Petrus, vti erat prudens & mitis, conuitia mináſque contemnens, verba mollia rependit, pacatóque animo de noua hac doctrina interrogauit. At illi benignitatem & mansuetu

Cretam perniciosa hæresi liberat.

ſuetudinem aſpernati, arroganter valde, neque ad rem appoſitè, reſponderunt. Videns Legatus ſe nihil hac via profeciſſe, ſtatuit inquiſitionis munus ritè peragere, & ſingulos ſeorſim prout moris eſt, examinare: Ducémque ipſum nomine ſanctæ Romanæ Eccleſiæ interpellauit, vt in re tanti ponderis neceſſario auxilio ſibi vellet adeſſe. Hic in furias actus, & impio coniugis conſilio ampliùs exardeſcens, Legatum adiit, contumelioſis & deſpicabilibus verbis laceſſiuit, opem omnem denegauit, & niſi vniuerſa excederet inſula, mala multa, & mortem ſibi ſuíſque prædixit. Sectarij vt maiorem ei conciliarent inuidiam, omnia ſparſére in vulgus, neque aliud iam ſperabatur in populo, quàm horrenda Legati & domeſticorum carnificina. Magis illum angebat ſuorum trepidatio, qui præ foribus mortem meditabantur, vrgebántque, vt fugâ vitæ diſcrimen declinaret. Attamen à Deo confortatus conualeſcebat, & confundebat modicæ fidei, deiectíque animi viros, vile & indecorum exprobratus conſilium. *An non*, inquit, *Dei cauſam agimus? vt cur non liceat eius ſperare, & certò promittere patrocinium?*

Indi

Indigna res est, vt fidei hostibus Romanæ sedis Legatus terga turpiter vertat. In acie standum, & fortiter dimicandum; vincere honorificum, per mortem hîc vinci nihilominus gloriosum. Virtus Dei est omni credenti; confidite; videbitis auxilium Domini super vos. Viriliter agite, in statione vestra perseuerate; ego intrepidè præliabor prælia Domini; & in ipso sperans non infirmabor. Postridie Ducem ipsum & Vrbem diris deuouit, atque Ecclesiastico interdicto ecclesias omnes subiecit. Deinde Principi animosè in faciem dixit; dominium eius & potestatem iam sub incertum fluctuare, & meminisse oportere quòd in Dei manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum, & quòd per illum Reges regnant, Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Vicaria etiam potestate Pontifices Romanos bene merentibus regna contulisse, & demerentibus abstulisse. Deum itidem suæ Ecclesiæ dedisse Reges nutritios, non hostes. Quòd si ille se inimicum probaret, & fidei Catholicæ corruptoribus auxiliari non desisteret, certissimè sciret dominium in alios transferendum. Ita hæc Ducem perculerunt, vt pauens & tre-

mens

mens pœnitentia ductus ad Legatum accesserit, errati veniam postulaturus. Contritum & humiliatum ille humaniter admisit, eiúsque fretus auxilio in hæreticos mortis & incendij sententiam promulgauit. At omnes, præter vnum Ducissæ cognatum hæresim detestati, abierunt impunes, ille pertinacior effectus publico periit incendio. Hac prostrata hæresi, gloriosiùs recessit, prosequentibus eum per plurima amoris indicia, Duce ipso & optimatibus ciuitatis. Transeunti autem in eadem insula per Cunilæ vrbem significatum est, ibidem sepultum fuisse famosum quendam hæreticum, cuius statim effodi iussit ossa, atque igne consumi.

XXIV. Rhodum profectus, grauiter ægrotauit, & longo tempore à Natalitiis Domini vsque ad Resurrectionem decubuit. Porrò illo tempore decedente Hugone Rege Cyprio, Petrus filius ad solium euectus est, vehementérque cupiuit à sancto Legato coronari, & sacro oleo deliniri. Misit, qui obnixè rogaret, vt veniret, & piis votis annueret. Longa attrito infirmitate consulebant omnes ne periculoso & molesto se committeret *Regẽ Cypri coronat & inungit.*

itineri. At ille honori Ecelesiæ Romanæ consulere, & Regi complacere cupiens, omnia contempsit vitæ discrimina. Seruorum humeris ad nauim elatus, in nauigationis cursu vim morbi sensit grauissimam, & prostratis viribus putabant aulici neque salutis neque vitæ spem vllam superesse. Vbi verò isti magis desperabant, ille diuinam virtutem manifestiùs patefecit, sola oratione ad B. Virginem & S. Gregorium præmissa, integram repente consecutus sanitatem, nullis pristini morbi relictis vestigiis. Incolumis vt appulit, perfecta & vegeta corporis constitutione omnes in admirationem rapuit, qui diuturnam nouerant infirmitatem. Regem autem solemnissimo ritu in Ecclesia Cathedrali Famagustæ magno plurimarum nationum concursu diademate coronauit, & sacra vnctione liniuit.

XXV. Perceperat in hac insula Græcorum Episcopos & Sacerdotes schismaticos occultis artibus, & quibus poterant modis, Christianos Romanos ad suos ritus & instituta pellicere. Non tulit hoc æquo animo, initóque cum Rege consilio statuit gentem pertinacem, subdolósque

Græcos trahit ad ritum Romanum.

que ministros iniqui insimulare consilij. Conuocauit potissimos illorum in templum primarium Nicosiæ, erectóque solio pro Legati dignitate prope altare præcipuum, clausis foribus, vt populi Græcanici tumultui obsisteret, cœpit Episcopos sui monere officij, & debuisse potiùs ipsos ad vnionem accedere religionis Romanæ, quàm ab ea reliquos auocare. Plurimi illorum benignis efficacibúsque rationibus aurem accommodantes, pro viri reuerentia, & veritatis pondere suæ inscitiæ & temeritatis veniam postularunt, polliciti se deinceps fidem secuturos Romanam. Instigante autem zizaniæ satore, & pacis inimico, surrexit petulanter ex Presbyteris vnus, vir temerarius & audax, & prosiliens in medium conuocauit reliquos ad dissoluendum cœtum, procacibus verbis, & magnis clamoribus omnia perturbans. Huic accesserunt alij eodem spiritu agitati, in duásque partes diuisa concione, vtrimque sæuitum est vehementer. Præ foribus promiscuum vulgus Græcorum rei exitum præstolabatur, auditóque interno tumultu effractis valuis cœco furore irruit in templum. Schismatis fautores,

& commotionis authores culpam refundebant in Legatum, incuſabántque quòd proditoriè, & nulla præmiſſa monitione volebat nobilem Græcorum gentem à patriis ritibus ſubducere, & ad alienas legès incautam transferre. Omnem denique quam poterant, inuidiam conflabant, eóque proceſſit turbulenta conſpiratio, vt in eas itum ſit horrendas voces: moriatur Legatus; occidantur fraudulenti Latini. Qui adſtabant Antiſtiti, familiares & ſerui, tumultum declinare, & mortem fugere tentârunt, rogantes etiam vt ille in angulum aliquem, aut latibulum abiret. Noluit è ſede recedere, nec timoris indicium aliquod præferre, ſed arrepto è Cruciferi manu legationis & dignitatis vexillo, famulos ad perferendam intrepidè mortem pro fide Catholica, & Sedis Romanæ authoritate excitauit, ipſéque nobili magiſterio impauidus obiecit ſe malis omnibus ſuperuenturis. Rex admonitus periculi, in quo verſabatur Legatus, miſit celeriter fratrem ſuum Principem Antiochenum, milite ſtationario ſtipatum, qui tumultuantes compeſceret, Antiſtitem honorificè haberet, & domum vſque aſſociaret. Fecit Prin-

ceps,

ceps, Græcos puniuit, & Legatum in omnium conſpectu ſumma proſecutus reuerentia in Regiam deduxit. Non propter hæc animum deſpondit, nec zelum imminuit Petrus: dolebat enim in regno ſubdito Regi Catholico, & fidem profeſſo Romanam, graſſari huiuſmodi vulpeculas, quæ demoliebantur vineam. Egit itaque variis artibus, modò dulciter, modò ſeuerè, modò imperans, modò rogans, aliquando minis territans, aliquando blanditiis alliciens: & tandem fecit, vt primarius Græcorum Epiſcopus, alij item Antiſtites, & qui potiores erant in Clero in vnitatem fidei Romanæ publicè conſpirarent.

XXVI. Rebus benè conſtitutis in Cypro ſoluit in Achaïam, ibíque commiſſam ſuæ curæ Eccleſiam Coronenſem inuiſit. Hîc etiam Græcos ſchiſmaticos, vt errores abiurarent, induxit; qui proterui erant, verbi diuini virtute ſuperauit. Diem nullum infructuoſum elabi permittens, modò docendo, modò diſputando, ſæpiſſimè concionando, multos ad fidem conuertit, ſanctiſſimæ denique vitæ exemplo mores omnium reformauit. Ea in prouincia erat vir potens & *Suã Eccleſiam Coronenſẽ reformat.*

Arcadiæ Principi filiũ impetrat.

Princeps, Arcadiæ Dominus, qui ſuſceptis è conthorali filiabus multis, maſculum nullum procreauit. Rogauit obnixè Legatum, vt in domum ſuam deſcenderet,& genitoribus benedictionem impertiret. Deſcendit, benedixit, annuntiauit maris conceptum breui ſecuturum. Ita factum: ſpecioſus ortus eſt puellus, adoleuítque in virum prudentem. Nauigaturus in Cyprum horribili quatiebatur procella, neque præter vota precéſque videbatur humani remedij quidquam ſupereſſe. Sex anchoris proiectis & deperditis, rudentibus ruptis, & retinaculis conſumptis ad ſacram hanc anchoram nautæ recurrerunt, rogantes vt miſereri vellet & deprecari Deum, quatenus motos componere fluctus dignaretur. Orauit feruenter, intincta reuerenter in mare, quam geſtabat, cruce, reliquiis ſanctorum pretioſa, & ſtatim facta eſt tranquillitas magna obſtupeſcentibus qui aderant, & viderant manifeſtam Dei in ſuo ſeruo virtutem.

Tempeſtatem ſedat.

Sataliam Chriſtianis inſtruit diſciplinis.

XXVII. Sataliam fortiſſimam vrbem Petrus Cypri Rex hoc tempore expugnauerat; confeſtim illuc profectus Legatus, Eccleſias inſtituit, Sacerdotes, & viros

viros religiosos aliunde auocauit, diuini officij ritus stabiliuit, & omnia ad normam Romanæ Ecclesiæ composuit. Præsidiariis etiam militibus, & constituto à Rege magistratui indulgentias maximas, priuilegiáque largitus omnes excitauit, vt à Saracenorum tyrannide ereptam vrbem ad Dei gloriam, & rei Christianæ nobile augmentum fideliter atque viriliter custodirent.

XXVIII. Cum Rege Cyprum regressus grassante vbique in insula, sed maximè in vrbe Famagustæ, pestilēti cōtagione, quæ vno aut altero die infectos è medio tollebat, solemnē instituit in vrbe Nicosiæ supplicationem, in qua ipsius exemplo omnes detecto capite, & nudis pedibus Dei misericordiam, & reatuum indulgentiam implorarunt. Habitis etiam doctissimis sermonibus ad populum, omnes excitauit ad pœnitentiam & seueram peccatorum satisfactionem. Deinde contempta morte abiit Famagustam, vbi singulis diebus quadraginta circiter desiderabantur, ordinatáque simili supplicatione, & indicto ieiunio in pane & aqua, frequenti concione voluntarios fecit vltores iniuriæ cœlestis. Tanto zelo exarsit & po-

Pestem profligat.

puli pereuntis ita insignem commiserationem piis actibus ostendit, vt non solùm Christianos, verùm & qui cohabitabant, infideles Iudæos & Saracenos ad similia opera, & vberrimas lacrymas prouocârit. Deus autem, qui non nouit in ira sua continere misericordias suas, misertus gemituum & lacrymarum, & serui sui precibus acquiescens, gladium indignationis suæ recondit, & ab illo die nullus ex innumera multitudine vlceratorum obiuit, neque ampliùs alij percussi sunt, sed penitus tam in vrbe hac, quàm in vniuersa insula pestis euanauit.

XXIX. Plenè in remotis dissitísque prouinciis legatione perfunctus annis circiter quatuor, audita morte Innocentij Pontificis, anno trecentesimo sexagesimo tertio supra millesimum venit Auinionem in comitatu Petri Regis, Ierosolymitanam expeditionem apud nouum Pontificem, & inter Principes Christianos promoturi. Paulò ante sub finem anni præcedentis substitutus est Innocentio Grimaldus Grisatus, prouincia Tolosana oriundus, Abbas Massiliensis Ordinis Cluniacensis, dum Nuntij Apostolici munere fungeretur apud Reges Siciliæ,

Mortuo Innoc. 6. substituitur Vrbanus quintus.

liæ, & Vicecomites Principes Mediolanenses, Vrbanus V. renunciatus. Non priùs hic Auinionem reuocatus, & sacra tiara coronatus, quàm decreuerit, validam manum Cruce signatorum & Principum confœderatorum sub Calendas Martias anni sexagesimi quinti illius centuriæ, mittere in subsidium Imperatoris Palæologi, & Christianorum Orientis, vt barbaris resisterent conatibus Turcarum, qui deletum volebant in illis prouinciis nomen Christianorum; & si prosperi suaderent belli euentus, vlteriùs pergerent, Ierosolymis triumphaturi. Destinauerat exercitus Imperatorem Ioannem Galliarum Regem, & Sedis Apostolicæ Legatum Talairandum Cardinalem Episcopum Albanensem, de quo suprà sumus præfati. Sed decedente hoc anno Cardinale suffectus est in legatione [12] B. Petrus, priùs translatus ab Ecclesia Coronensi ad Archiepiscopatum Cretensem; deinde anno sequenti assumptus ad Patriarchatum Constantinopolitanum, [13] concessis etiam in magnorum, quos subire oportebat, sumptuum subsidium redditibus Ecclesiæ Coronensis, & Nigripontis. Amplissimas adiunxit lega-

Exercitũ parat Cruce signatorũ.

12. *B. Petrus Archiepisc. Cretẽsem, & Sedis Apost. Legatũ instituit.* Vide Bullam 22. & seqq.

13.

tioni Pontifex facultates, illam præſertim prouidendi eccleſiis Cathedralibus illarum partium, quæ tyrannidi ſubtraherentur infidelium, & præficiendi eiſdem, ac reliquis ſacerdotiis Epiſcopos, & paſtores.

XXX. Porrò Ioannes Rex anno ſequenti[h] 5. Idus Aprilis obiit in Anglia, quo abiit viſum liberatúmque filios duos, & totidem Regij ſanguinis Principes, quos, ab Eduuardo Anglorum Rege in bello captus, obſides dedit, donec promiſſam pro ſua liberatione numeraret pecuniam. Valde doluit Vrbanus Pontifex ad tanti Principis ſtrenuíque Ducis interitum; temperauit tamen dolorem probata ſæpè virtus militaris Petri Regis Cyprij, cui numeroſæ claſſis, ſelectíque militis imperium commiſit. Monuit etiam conceſſæ Petro legationis, & cauſam in literis expreſſit: *Conſiderantes*, inquit, *in eo zelum fidei, ſcientiæ donum, & circumſpectionis induſtriam, aliáque multiplicia virtutum merita, in vltramarinis partibus laudabiliter comprobata, in huiuſmodi negotiis experientiam, & quia eum nouimus tuæ ſublimitati acceptum, &c.* Et ille quidem ſpei de ſe conceptæ egregiè reſpondit, ſtatim

[h] An. 1364

Petrus Rex Cypri exercitus Imperator.

ſe ac

ſe accingens itineri, & diligenter operi incumbens. Pacificandi erant multi Principes, & reconciliandæ pleræque prouinciæ, præſertim in Italia, vt contra communem conſpirarent inimicum, & brachio vno diuinæ vlciſcendæ iniuriæ gladium vibrarent, quem cæco furore in ſua viſcera contorquebant. Per omnes ille diſcurrit, multos ad pacis fœdera reduxit, aliis perſuaſit inducias: & à quibus pacem non poterat, belli ſacri extorquebat ſubſidium. Non placebat omnibus tantæ pacis ſtudium; quibus inter bellorum ſtrepitus maius emergebat lucrum, acrioris odij ſtimulos inſigentes, Chriſtianæ concordiæ & authori vehementer aduerſabantur. Bononiæ,[14] Florentiæ, Venetiis, non paucas, neque paruas perpeſſus iniurias, quia pacem annunciabat, & ſuadebat meliora, grauiores tulit in Pannonia à militiæ præfectis, dum efficaci ſermone belli explicaret nocumenta, & cauſæ exquireret æquitatem.

B. Petrus multos Principes & Prouincias pacificat.

14. *Non tamen ſine moleſtiis.*

XXXI. Progredienti ad munitiſſimam arcem vt Præſidem à belli ſtudio retraheret, incurrerunt feroces Hungari decem incitatis equis; & diſtrictis falcatis enſi

Et vitæ diſcrimine.

ensibus, ipsi, & quem in comitatu habebat, Cyprio Cancellario, necem illaturi. At ille intrepidus occurrit, & in Deo spem omnem reponens, graui vultu & maiestate plenus ait: *Quid vultis? aut quem quæritis?* Sola hac voce, quasi ingenti tonitru, perculsi contremuerunt, neque verbum locuti retrocesserunt. Sæpè etiam per medias acies in ipso conflictu discurrebat, pacem exclamans, & per Dei misericordiam obtestans, vt mitigato furore, sibi suísque parcerent, & iustitiæ libramine, non effuso sanguine, controuersias dirimerent. Ex vtroque latere cadebant sauciati milites, & præ oculis iacebant exanimata corpora, quæ aliquando calcare oportebat, sibilabántque vtrimque emissæ sagittæ, & stridebant per aërem hastilia, neque tamen virum optimum à pio opere & virtutis amore poterant dimouere.

Genuenses pacificat.

XXXII. Labore multo variísque ærumnis, in belli societatem conuocatis, quos pacificauerat, Principibus, paratísque rebus necessariis ad transfretandum, dum Venetiis, (vbi simul cum Rege magnificentissimè exceptus est) soluere tentaret: ecce infaustum nuntium omnia turbari,

bari, & Regem oportere priùs ſuo regno proſpicere, quàm inuadat aliena. Orta ſeditione inter Cyprios & Genuenſes mercatores, quorum plurimi ea in inſula commorabantur, hi paſſi ſunt à Cypriis, quippe domi ſuæ potentibus, iniurias graues & damna. Itaque per ſuum Ducem Gabrielem Adurnium iubentur totâ inſulâ excedere, Regíque eo titulo indicitur bellum, iniuriæ vindicandæ. Reuocatur ab ipſo portu Legatus, & ad Genuenſes amandatur, obſtaculum hoc paratæ expeditionis amoturus. Commotis animis & ad vindictam concitatis ingratiſſimum erat, quidquam de condonanda offenſa proponi, nec caduceatorē vllum in ſenatum admittebant. At Petrus tanta mole parati, & ſuſpenſi exercitus compreſſus, obſecrabat, vrgebat, compellabat. Camino tamen oleum infundebat aduerſante vehementer populo, cuius furor eò vſque proceſſit, vt Legatum pacem in foro annuntiantem nimbi obruerint ſaxorum, niſi confeſtim in vicini cœnobij ſe ſubduxiſſet ſacellum. Magnis deinde itineribus contendendum fuit Auinionem, confeſtim Genuam redeundum, hinc Venetias ad Regēm abeundum,

dum, iterum Genuam regrediendum, vbi tandem feliciter negotium absoluit.

In exercitu egregiè suo muneri respõdet.


XXXIII. Complanatis tot montibus difficultatum, tandem velitandum fuit, & res ipsa aggredienda. Qua verò prudentia leges exercitui Petrus ferebat, qua vigilantia sinistros casus præueniebat, quo feruore bellaturis prædicabat, qua charitate ægros inuisebat, confessiones excipiebat, egenis succurrebat, diffidentes conciliabat, & nationum omnium, quas copiosus amplectebatur exercitus, æquo iure milites fouebat, non facilè posset referri. Omnes viciſſim æquè in singulos beneficum, vti patrem amabant, & grauiter bona quæque suadentem, veluti Angelum è cœlo delapsum, venerabantur. Felicem se putabat, qui vel manum osculari, vel benedictionem posset accipere. Libenter omnes concionantem audiebant, consulentem auscultabant, & præcipienti obtemperabant. Ille orationibus, & publicis supplicationibus Dei auxilium implorabat, & frequenti sermone fidei Christianæ dignitatem, ac salutiferæ Crucis, qua insigniebantur, virtutem tanta commendabat efficacia, vt ad fletum & planctum excitaret, summúmque

que

que imprimeret desiderium fidei causâ mortis obeundæ. Mirabantur vniuersi quomodo tam ingenti curæ solus sufficeret, aut quomodo tanto adeóque multiplici labori par esset vnus, qui neque noctu requiescere, neque diu ab opere cessare, neque indigenti corpori quidquam videbatur indulgere.

XXXIV. Tandem vbi ad pugnam veniendum erat, collecta vniuersa classe in insula Rhodi, Christianos omnes sacra pœnitentia expiari, & cœlesti pabulo curauit præmuniri. Deinde simul soluentes prospero cursu in Ægyptum descenderunt, & opulentam magnâmque Alexandriæ vrbem terra marique, copiis opportunè dispositis, obsederunt. Fortiter vtrimque dimicatum est; ciues libertatem rem omnium pretiosissimam, propugnabant: hostes grauem Satanæ seruitutem ab inuitis propellebant. Hi pro Christo; illi pro malo genio decertabant: hinc charitas; illinc cæcus error vrgebat. Excelsa in puppi prominebant armati Rex & Legatus, ille imperio dirigens, hic voce confortans. Ille Imperatoriis notis insignis, hic Cruce nobilior: *Eia*, clamabant, *milites electi, Dei vindices, Christianorum*

Obsessa Alexandria Petrus strenuã operam nauat.



rum

rum decor, Turcarum terror; induistis armaturam fidei, & loricam iustitiæ, accingimini, & estote viri potentes. Castra Dei sunt ista, ille pro vobis, & in vobis pugnat, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, in conspectu vestro cadent hæ familiæ gentium, & corruent muri Alexandrini. Ex alto prospicit pugnam, victuris præmium, casuris gloriam largiturus. His aliísque flabellis conceptum ignem incendebant, & animos erigebant, donec plenè victoriam consecuti sub meridiem 4. Nonas Octobris, sancti Francisci natalitiis sacro, vrbem nobilissimam in suam potestatem redegerunt.

Vrbs capitur.

XXXV. Magnum profectò, & memorabile opus, nostræque religionis in immensum amplificandæ fundamentum ingens, si quantum ad capiendam, tantum ad seruandam vrbem animi fuisset. At insignis victoriæ gloria citò deperiit, conuerso in fugam triumpho; quippe Transalpini, ex quibus maior numerus confluxit, meliores frequenter ad principia rerum, quàm ad exitus, exusta vrbe, collectis ingentibus spoliis abire decreuerunt. Dolebat vehementer Legatum & Regem, præclarum facinus fidei originariis locis restituendæ, felicibus auspiciis

Sed derelinquitur.

ciis gloriosum, turpiter deseri, cupiebántque vrbem numeroso præsidio munire, vnde ascensus poterat parari ad occupandas Syriæ vrbes, & sacra loca Palestinæ. Sed vtrumque pij voti impotem, auari voti compotes fecerunt, opimam prædam volentes suis domibus inferre; & causantes se Saracenorum multitudini, in Alexandrinorum subsidium conuolanti pares non futuros. Legatus contrà rogare, obtestari, per Deum precari, ne in ipso triumpho canerent receptui, sed partam victoriam prosequerentur, & fugientes insequerentur inimicos; *quorum fuga*, inquit, *nostra gloria est, quorum metus nostra fortitudo, fractæque vires nostram augent potentiam. Superuenturos alios ipsum triumphale nomen terrebit, & parta victoria alias pariet maiores. Semel victis semper acceptæ cladis inhæret memoria, & armorum, quibus contriti sunt, ingerit formidinem. Gloriæ nostræ fama æmulos aduehet triumphi; & aduersum hostium incrementum copiæ superabunt auxiliares. Aderit demum, quando omnia desint, Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius, suam causam acturus, suis militibus auxiliaturus. Ipse dedit vrbem hanc magnam in manus vestras,*

Rege & Legato contradicente.

D *ipse*

„ *ipse incolas profligauit, non manus nostra, sed*
„ *Dominus fecit hæc omnia: nomen & quam*
„ *vltrò tradidit, conseruabit? Custodia vestræ*
„ *commisit, non prædæ: diuturnos vult possesso-*
„ *res, non rapidos sarcinatores. Cauete itaque*
„ *ne derelicta ciuitate irascatur Dominus, &*
„ *fugientes pereatis de via iusta. Ecce prædico*
„ *vobis, exardescet in breui ira eius, & spreti*
„ *pœnitebit consilij.*

Fuga authores Deus puniuit.

XXXVI. Surdis tamen canebat, neque suis precibus, neque cœlestibus minis impetrare potuit, vt tuendæ, quam possederant vrbi, remanerent. Integra proinde classe Rex Cyprum redire decreuit, ibíque noua bella moliri. Vt soluit, Dei indignationem protinus æquor indicauit, horribili tempestate collisis primum nauibus, deinde dispersis, postremò aliquot demersis. Derelictæ Alexandriæ authores magnis vocibus diuinam inclamabant clementiam, sed grauiores adhuc superesse pœnas, & spoliorum, quæ obcæcarunt, iacturam prænuntiabat Legatus. Magna pars miserè periit, reliqua longo tormento periclitantis vitæ contabuit. Res mira: ipse sedato animo, & tranquillo corpore inter sæuæ procellæ tumentes fluctus agebat, & prolixâ scripsit epistolâ

rei

rei ſeriem, Pontifici Vrbano mittendam. Tandem peruentum eſt Nicoſiam, vbi Regem monuit, totius populi ordinato inceſſu Deo gratias ageret partæ victoriæ. Ipſe interim doctiſſima concione Dei virtutem, Regis prudentiam, zelo Chriſtianæ fidei coniunctam, belli ſacri neceſſitatem & commodum explicauit.

XXXVII. Voluerunt aliqui turpis lucri cupidi mercatores hoc ipſo tempore gratiam inire Sultani Ægyptij, fœdus ſtabilire, & priſtinum cum Alexandrinis inſtaurare mercimonium. Nulla interpoſita mora anathema dixit in omnes, qui merces Ægypto inueherent aut cum Sultani ſubditis quidquam paciſcerentur. Fuit tamen mercator Venetus, qui poſthabitis cenſuris, triremem opulentis mercibus onuſtam Alexandriam conduxit, vt verò in conſpectum vrbis venerat, orta horribilis procella in Cyprum vſque diſiecit, vbi naufragium fecit, merces perdidit, & vix ipſe ſcapha minaces fluctus euaſit. Teſtis eſt Cypri Cancellarius, [15] Petro familiaris, toto illo tempore, quo bellum durauit, lati anathematis virtutem perſeueraſſe, omnéſque contemptores, vel ſæui maris fluctibus periiſſe,

Vniuerſim prohibet cum hoſtibus commercium.

15.

ſe, vel in vltrices Saracenorum manus incidiſſe; & multis ſignis Deum manifeſtaſſe quantum diſplicuerit bellum inchoatum feliciter, vel militum ignauia, vel Ducum auaritia, aliarúmve nationum inuidia, in magnam Chriſtiani nominis contumeliam, nec minorem fidei iacturam, turpiter euanuiſſe.

Parat ſe itineri Auinionenſi.

XXXVIII. Rogauit Rex vt Auinionem abiret, Pontifici relaturus, quæ acciderunt, animúmque adderet exercitus reficiendi. Nullum ille pertæſus laborem, quo bellum ſacrum vrgere; vel rem Chriſtianam poſſet augere, iter longiſſimum, & periculis obnoxium, non abhorruit, ſed protinus Famaguſtam abiit, inde nauigaturus. Etſi magno animo rem magnam obiret, mœſto tamen retinebat Alexandrinam iacturam, & glorioſæ victoriæ fructum inanem, neque ab illo tempore ſignum aliquod lætitiæ potuit præferre. Dolens & contabeſcens ſe accingebat itineri, opportunúmque tempus expectabat transfretandi, quando gra-
16. *Ægrotat.* ui[16] correptum infirmitate oportuit ſubſidere. Solemni Natiuitatis Dominicæ nocte è domo Carmelitarum, in qua commorabatur, ad ædem Cathedralem pedes

des perrexit, nulla arcens cura cœli inclementiam, tenuíque veste vniuerso interfuit officio, & solemni apparatu Pontificio trium Missarum peregit mysteria. Præcesserat seuerum aliquot dierum ieiunium, & integra noctis vigilia, quibus extenuatum corpus cœpit algere. Non obinde prætermisit reliquarum festiuitatum functiones, neque vlla in re languenti indulgebat corpori, quin in sacris officiis primus præiret exemplo. Postridie Natalis Domini nudis pedibus cœnosa processit platea ad celebrem Ecclesiam S. Mariæ de Cana sacrum facturus Pontificium. Monentibus aulicis ne ita incederet; potiorémque sui curam haberet, respondebat: Mirum esse quantum à robusto priscorum Patrum spiritu nati deciderint, & solerti fugiant studio, quæ illi longo docuerunt exemplo. In memoriam reuocandos esse neruosos Eremi incolas, & masculos Ecclesiæ primitiuæ pastores, qui animæ non cuti curandæ, gregi non corpori pascendo diligentiam adhibebant. Illi in melotis, in pellibus caprinis, nudi, afflicti, angustiati, egentes, in solitudinibus errantes continuò incedebant: & magnum aliquod facinus nos

„ aggressos putamus, si delitiis vitiati cor-
„ poris extimam, aut infimam partem ali-
„ quam denudamus.

XXXIX. Spiritu prompto carnem infirmam ita roborare satagebat, sed aliò vocanti obsequendum erat, & graues corporis deponendæ exuuiæ, vt liber spiritus ad suum remearet authorem. Per aliquot dies sacris operabatur, piis diuerticulis fallens languorem: at tandem succumbendum erat, & cogitationes inuertendæ. Non ampliùs bello studendum, sed paci; non hostes debellare, sed amicum oportebat conciliare, in cuius erat potestate infrà paucos dies vel pœnæ addicere, vel gloriæ deputare. Socium, quem assumpsit itineris, regni Cancellarium, Regi remisit, vt postremum vale diceret, & quæ suæ commisit fidei in alium transferret. Sciens insuper, quia venit hora eius vt ex hoc mũdo transiret, rogauit vt quamprimùm rediret, vt in morte haberet auxiliatorem, quem in vita fidum probauit amicum. Ipso, quo decubuit die cœlesti didicit oraculo tempus suæ vitæ præfixum, & horam, qua erat decessurus, multísque prædixit, præsertim Petro Maruellio, Regis Cubicula-

Mortis horã cælitùs præsciuit.

rio

rio se diem Martis proximæ hebdomadæ non præteriturum. Non turbato animo, neque infirma spe tempus resolutionis expectabat, non exire de corpore trepidabat, sed lætatus in his, quæ audierat, in domum Domini festinabat, de gloria retributionis hilarescens.

XL. Die Dominica generali confessione expiata conscientia, & sacra accepta synaxi è manu Confessarij Fr. Andreæ de Solinis, sui instituti professoris, vniuersam familiam, eodem sacro pabulo se præsente refectam, piis monitis instruxit, deiectósque animos blandè consolatus erexit. Indutus deinde vili sacco, & fune ad collum alligato: *Peccatoris*, inquit, „ *& indigni homuncionis insignia sunt ista. In* „ *cinere & cilicio debui pænitere, sed neglexi;* „ *quod superest temporis, breue nimis est, tot er-* „ *roribus plectendis. Si appenderentur peccata* „ *mea, quibus iram merui, grauiora apparerent* „ *omni supplicio, neque corporis cruciatus, ne-* „ *que laqueus hic, neque vllum sæuæ mortis ge-* „ *nus par esset iustæ vindictæ. Suspendium elegit anima mea, sed non licet inferre: morte* „ *vellem diluere, quod in vita commisi; sed gra-* „ *ue hoc vitæ pondus cogor sufferre, ne peccata* „ *corripiens maius accrescat. Instrumenta profe-* „ *ram,*

Qualiter se ad mortem præpararit.

„ *ram: & meruisse fatebar: quis scit si Deus con-*
„ *uertatur & ignoscat? Magna mea est iniqui-*
„ *tas, sed Dei maior misericordia: cor contritum*
„ *& humiliatum nunquam despexit; neque in*
„ *finem misericordiam suam abscindit. Non in-*
„ *grato hoc vtar compendio, vt quod mea infir-*
„ *ma non potest sceleris vindicta, à pietate spe-*
„ *rem diuina, quæ peccata dolentem celeri præ-*
„ *uenire solet indulgentia.*

XLI. In nudam deinde humum è lecto translatus multis lacrymis & crebris suspiriis diuinam implorauit clementiam, vt delictis vellet ignoscere, & à vitiorum sordibus expurgare animam, è misero corporis ergastulo breui trãsituram. Mox
„ ad suos conuersus: *Vos*, inquit, *qui mecum*
„ *permansistis in tentatione, in tribulatione, in*
„ *periculis, etiam ignoscite, quod in vos pecca-*
„ *tum est, vel seuero imperio, vel nimia indul-*
„ *gentia. In quos ego vos labores inuexi, qui-*
„ *bus vallaui angustiis, in quæ pericula conieci,*
„ *dolens contemplor, eóque vehementiùs hæc*
„ *animum pungunt, quo certiùs video spem*
„ *nullam superesse mercedis. Contuli quæ potui;*
„ *leuia tamen, & vestris meritis imparia; ab eo,*
„ *qui misit nos, maiora cogitaueram impetrare,*
„ *quæ fido obsequio & nobili corresponderent*
„ *seruituti. Cogitatum mors inopina succidit, &*

grauem

grauem vestræ iacturæ dolorem ingessit. Quod „
vltimum est Deo bonorum omnium largitori, „
& iusto retributori hæc omnia committo. Col- „
lachrymantibus omnibus, qui pio inter-
erant spectaculo, rogauit Confessarium,
vt Corpus Dominicum coràm in ara ex-
positum afferret, & sacra pyxide manibus
assumpta genibus flexis iterum veniam
delictorum deprecatus Symbolum reci-
tauit Apostolicum, adiecta fidei integræ
protestatione, & reuocatis, si quos ali-
quando ignoranter protulit errores.

XLII. In lectulum relato voluerunt
Confessarius, & nobilis quidam amicus
funem collo appensum auferre; sed re-
stitit, dicens: *Permittite, vt hoc meæ nequi-* „
tiæ præferam indicium donec dignum hoc mor- „
tis genus Deo placuerit honestiori commutare. „
Hac vtar confessionis tessera, donec ille sua „
vtatur misericordia. Oculis deinde & men- „
te in cœlum erectis longa & læta arcano-
rum cœlestium contemplatione circum-
stantium animos suspendit: & mox in
oppositum angulum vultu conuerso,
vidit teterrimum dæmonem callidè in-
sidiantem. Allata cruce, & aqua lustrali
magno imperio, tanquam potestatem
habens, præcepit, vt domo excederet

vniuerſa. Miſcentibus ſermonem viris primariis de condendo mauſolæo; & ſolemnibus præparandis exequiis, rogauit ne quidpiam horum efficerent, ſed abſque pompa & funere in chori introitu abſque ſepulcrali lapide, pedibus tranſeuntium conterendum in ipſo reponerent pauimento.

XLIII. Die Lunæ exardeſcente febre plurimi accedebant vrbis Senatores & viri primarij, quotquot etiam aderant claſſis, quam duxerat, Præfecti, ſanctum virum viſuri, & manus oſculaturi. Multi ingemiſcebant ad optimi Patris iacturam; alij lugebant pauperum tutelarem, pupillorum & viduarum patronum, afflictorum conſolatorem in hoc vno perire: alij demùm lamentabantur illo abeunte nullam relinqui ſpem Terræ-ſanctę recuperandæ. Horum lacrymis commotus dixit ſibi tutiorem eſſe è corpore deceſſum, ſéque ſummis votis contendere è valle hac lacrymarum in Dei conſpectum transferri; ſi tamen Chriſtiano populo eſſet neceſſarius, non velle laborē ſubterfugere: *ſicut fuerit*, inquit, *voluntas in cælo ſic fiat.* Ter aggreſſus eſt diuini recitationem officij, nec potuit præ nimio languore,

guore, & aduentantium importunitate complere, rogauit proindè Confessarium vt clauso ostio, quæ supererant, ipso audiēte recitaret, *nec vnum*, inquit, *hunc diem* "
absque sacro penso elabi permittam: namque "
per Dei gratiam, ex quo tempore religiosum "
subiui institutum, nulla causa, siue infirmita- "
tis, siue laboris, siue occupationis in mari, vel in "
terra canonicas horas prætermisi. "

XLIV. Sub noctē, imminutis viribus, misit, qui rogaret Episcopum Laudunensem, Famagustani Antistitis Suffraganeum, vt Clero associante Sacræ Vnctionis extremum ministraret Sacramentum. Accensis duabus candelis benedictis, quarum virtutem contra hostis probabat insidias, humi stratus, sacco coopertus in aduentu Episcopi Pontificalibus induti, & totius Cleri Ecclesiæ Metropolitanę elata cœpit voce recitare Psalmos Pœnitentiales ipso præeunte, reliquis alterno choro prosesequentibus. Inchoato quarto Psalmo, vitalis elanguit facultas, orauit proinde Episcopum, vt languidè dicentem adiuuaret, cuius ope & Psalmos & Litanias mira deuotione, & summo pietatis affectu frequenti gemitu, & copiosis lacrymis absoluit. Sacro vnctus oleo humiliter ab Episcopo,

copo, Clero, & circumſtantibus veniam petiit, vel criminis commiſſi, vel muneris „ omiſſi : *frequenter*, ait, *in trina mihi in-* „ *iuncta harum partium legatione ad vos di-* „ *greſſus, diu apud vos hæſi, multa oportuit in-* „ *nuere, multa item præcipere : aliqua fortaſſis* „ *neglexi, alia ſeuerius, quàm par erat, indixi.* „ *Vni ergo ignoſcatis inſcitiæ, non voluntati, er-* „ *ga vos ſemper rectiſſimæ. Plurimi erunt in* „ *inſula, qui de me iuſtè querantur, vniuerſorum* „ *per vos, vbi occurrerint, deprecor indulgen-* „ *tiam.* Lachrymantes & ingenua procumbentes omnes ab eo benedici ſupplicarunt, & impetrarunt. Abeuntibus reliquis Epiſcopus rogauit, vt in lectum referri iuberet : cui alta voce reſpondit : „ *Mei* „ *ſimiles decet humi iacere, & in cinere & in ci-* „ *licio vitam finire. Æquior etiam eſt hæc area* „ *certamini : qui iacet in terra, & nudus cum ho-* „ *ſte luctatur, non habet vnde cadat, neque ad* „ *terram facile deijcitur, quia non eſt vnde te-* „ *neatur.* Multorum tamen importunis precibus victus, ſe in lecto reponi permiſit, vbi Chriſti paſſionem Euangeliſtæ Matthæi verbis conceptam ſibi voluit enarrari.

XLV. Die Martis, in quem incidit Epiphaniæ ſolemnitas, vrbis Primates denuò acceſſe

accesserũt visuri, & benedictionem accepturi. Sero facto interrogauit, an redierit regni Cancellarius? quem ad Regem diximus amandatum; & respondentibus famulis non venisse, ait: *duabus adhuc horis amicum expectabo, alia nulla moræ causa est, quin liber euadam.* Et versus ad quendam amicum propè mœrentem, atque humaniter consolatus, dixit: *Noli flere:* ,, *non est, cur mihi compatiaris, quia per Dei* ,, *gratiam licèt multi sint vocati, & pauci electi,* ,, *in horum numerum cooptatus sum Dei benefi-* ,, *cium est ingens vocari, & maius, è multis as-* ,, *sumi. Vocor, & ad electorum trahor consortium,* ,, *vt quid non lætus abeam, & amici potius con-* ,, *gratulentur, quàm plangant? Deo placuit hæc* ,, *mihi aperire arcana, & transmigrationis lo-* ,, *cum præmonstrare: non est cur amplius hostis* ,, *verear insidias, non habet quod in me repetat,* ,, *aut obijciat abeunti.* Ad parietem inclinato parumper capite, ait: *Permittite paulisper* ,, *vt requiescam, neque turbetis donec Cancella-* ,, *rius aduenerit, neque enim alium expecto.* ,,

XLVI. Sub solis occasum iam tandem, accessit, quem sperabat, eiúsque aduentu mirum in modum exhilaratus, vires, quas plenè perdiderat, reassumpsit, & dimissis è cubiculo reliquis cum eo per in-

tegram

tegram horam ſermonem protraxit; vidēs autem ingemiſcentem & mœrentem propter ſuum diſceſſum, ei ſuauiter, & paternè valedixit: neque ampliùs cuipiam locutus eſt, ſed in chari amici complexu ſermonem terminauit, Paulò pòſt nullo exhibito agonis, aut mortis indicio, præſentibus & collacrymantibus vtriuſque ſexus perſonis primariis placidè obdormiuit in Domino, Anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſexto, [17] octauo Idus Ianuarias, hora noctis ſecunda.

Sanctè moritur.

17.

pulchrior apparet poſt mortem.

XLVII. Ex iis, qui aſtabant, nullus iudicauit vita defunctum, imò attentiùs proſpicientes in vultum eius, nullam auſi ſunt inferre moleſtiam, dolore, vt putabant, fatiſcenti; aut remiſſa febre quieſcenti. Cœpit corpus ieiuniis extenuatum, & laboribus attritum pulchrius apparere; & quod ſola cute & oſſibus cohærere videbatur, eminentiùs augeri; antea denigratum, nunc albeſcere; odorémque emittere ſuauiſſimum, quod priùs malè habitum, & viliter indutum minùs gratam auram effundebat. Suæ religionis habitu, quod ipſe præceperat, indutum obducta alba chlamyde externa, ex Pontificiis indumentis adhibitis ſolis chirothecis & ſanda-

ſandaliis, & ad pedes appoſita mitra, delatum eſt in Eccleſiam illius Monaſterij, in quo iacebat, magno fletu comitantibus ſui inſtituti conſodalibus, viris aliquot primariis, & matronis, quæ animam agenti adſtiterunt, & reliquam noctem, funus aſſociantes, duxerunt inſomnem. Circa quartam vigiliam viſa eſt lux magna de cœlo ſuper corpus deſcendiſſe, qua excitatæ mulieres propiùs acceſſerunt, viderúntque pulcherrima ſpecie faciē ſudore madentem, & ſeriò indagantes comperrerunt totum corpus vndique flexibile, ignoti generis humore adeò copiosè circumfuſum, tanquam ſi è pretioſo balneo recens proſiliret. Linteis multis corpus abſtergentes liquorem exceperunt, quæ malis multis medendis, & morbis pellendis mirabiliter profuerunt.

Deſcēdit ſuper corpus lux cæleſtis.

Pretioſū emittit liquorem.

XLVIII. Manè facto pulſatis campanis confluxit in templum vniuerſa ferè ciuitas, magnóque ſtudio inter importunas populi compreſſiones accedebant omnes ad feretrum faciem viſuri, & vbi licebat, manus, vel pedes oſculaturi, aut corpus quoquomodo contacturi. Qui accedere non poterant, magnis clamoribus, repetitiſque vocibus petebant à circum

Confluūt omnes corpus veneraturi.

cũſtantibus cuſtodibus faſciola, ſudariola, roſaria, aut alia quæque ſua pignora corpori admoueri, vt virtutẽ, quam viro ſancto credebant ineſſe, his modis haurirent. Non ſolùm Orthodoxi, verùm & ſchiſmatici, atque Hæbræi, & nobiles aliquot Cyprij, qui ab eo vel puniti, vel correpti, priùs ſanguinem ſitiebant, detecto capite reuerenter appropinquantes venerationem impendebant; & fœlices ſe reputabant, qui veſtis particulam poſſent abſcindere. Raymundus Archiepiſcopus Nicoſienſis, aſſiſtentibus aliis Prælatis, ſolemnes celebrauit exequias, & orationem habuit funebrem Fr. Ioannes Lamerſon Sacr. Theol. celebris Doctor Ordinis Minorum. Quoties coram iacentis in feretro incidebat mentio, aut nomen proferebat, toties *Sanctũ* vocabat. Interrogatus deinde ab Archiepiſcopo cur ita feciſſet? reſpondit: nihil tale à ſe chartæ inſcriptum in orationis contextura, ſed inter dicendum ſecreto ſuggeſtum & potenter immiſſum, atque hinc, & ex plurima virtute ſe certò credere Sanctis aſſociatum.

Celebrãtur exequiæ.

Sex diebus inſepultus multis claret miraculis.

XLIX. Sex diebus patuit vndiq; concurrẽtium fidelium venerationi, ſuauiſſimum ſpirans odorem, nulla rigens parte, totis

artubus

artubus flexibilis. A primo depositionis die multis cœpit clarere miraculis, ad quorum famam tam ex ciuitate, quàm ex rure suburbano conuolabant plurimi malorum remedium relaturi. Præ reliquis Fr. Ioannes Fauentinus Minorita, [18]. 18.
Præfectus, siue Guardianus Paphensis, qui sancti viri gesta vitámque descripsit, angina, aut faucium inflammatione fermè præfocatus accurrit, appositáque sancti viri dextra parti languenti, repentè conualuit. Fr. Stephanus, Terræ-Sanctæ Prouincialis, Ordinis Carmelitarum, eo die, quo vir Sanctus sepulcro conditus est, terram ipsam attingens, & pugillum applicans apostemati, quo diu vexabatur, statim vlcus exaruit. Febres innumeras, aliósque morbos miris modis coërcuit, plagásque sanauit: & opportunum semper eius auxilium Cyprij senserunt, maximè in depellenda epidimia, à qua vt liberentur, hunc sibi optimum delegerunt tutelarem.

FINIS.

E NOTÆ



NOTÆ IN VITAM B. PETRI THOMÆ.

De cognomine. 1. THomæ.] *An proprium hoc cognomen, vel Thomæ filius indicatur? Ioannes Molanus, Petrus Galesinius, & Philippus Ferrarius,* Thomasium *cognominant: an familiam insinuent, an à Patris nomine componant, dubium est, secundum probabilius.*

An fuerit martyr. 2. Confessoris.] *Multi martyrem scribunt, Stephanus Lusignanus, Syluester Marulus, Didacus Cauriensis ex Ioanne Paleonidoro Batauo, Petrus Thomas Saracenus, nuperum Breuiarium Carmelitanum, & alÿ. At his omnibus opponimus vitam à laboris, & itineris socio, & mortis teste oculato, Philippo Mazzerio, Cancellario Regni Cypri, conscriptam, in qua nullam habet mentionem vulnerum, aut Martyrÿ. Exemplar quoddam Gallicum huius vitæ aliquis corrupit, ponens ad margi*

margi

marginem, in Bello Alexandrino fuiſſe infidelium telis plurimis confoſſum, & poſtea Famaguſtæ vulneribus adhuc recentibus, obiiſſe. Caurienſis. & Breuiarium citatum referunt, vulneribus multis inflictis, telis confoſſum Alexandriæ deceſſiſſe, & corpus Famaguſtam delatum. At vtraque vita, à Mazzerio, & Fauentino contexta, refert ineunte Octobri Alexandriam expugnatam, & Petrum 8. *Idus Ianuarij Famaguſtæ naturali ægritudine deceſſiſſe. Adde ita ſemper ſenſiſſe vniuerſum Carmelitarum inſtitutum, quippe in libris vetuſtis ritualibus, eius feſtum exponebatur ſub nomine* Confeſſoris. *Miſſale impreſſum anno* 1509. *alterum anno* 1544. *tertium anno* 1551. K*alendarium editum ex præcepto generalis Capituli ad ſanctum Martinum in montibus in Vrbe celebrati an.* 1564. *ita habet.* S. Petri Thomæ Epiſcopi & Confeſſoris. *Error irrepſit in Breuiarium nouum ex hiſtoria Caurienſis, vel Saraceni, quam religioſus ille Pater, qui ad vſum ſuæ Congregationis lectiones compoſuit, officiis componendis adhibuit. Alios etiam errores, ex eadem hiſtoria deſumpſit in his ipſis lectionibus, quos in ſequentibus adnotabo.*

3. Vicus ſalinarum.] *Lectiones officij Carmelitani, & Saracenus Condomi natum, Bea-*

E 2 *tum*

tum Petrum referunt, ſed error eſt: neque enim ibi ortus, ſed religioſo inſtituto initiatus eſt.

4. In Aginnenſem profectus Vrbem.] *Saracenus ſcribit Atrebatum in Belgium amandatum vt ſtuderet: errat tamen, neque enim extra Galliam in ſua adoleſcentia profectum, meliores vitæ ſcriptores commemorant.* Aginnum *corruptè dixit* Atrebatum.

5. Condomum profectus.] *Conſequenter ad ſuperiores errores liberè euagatur Saracenus, & ait, in patriam ſuam Condomum à parentibus euocatum, eiſque ſenio defunctis, ad Carmelitas abijſſe.*

6. Rei neceſſariæ penuria.] *Breuiarium & Saracenus non releuandæ perſonali, ſed cœnobiticæ indigentiæ patratum hoc miraculum, contra aliorum fidē enarrant, & mercatorem, qui aureos nummos obtulit, Saracenus ſingularis teſtis, Angelum fuiſſe ſubiungit.*

7. Perpetuò duraturum.] *Variant authores in narranda hac ſponſione; quidam vigilanti, alij dormienti factam ſcribunt; quidam multa demunt, alij plura ſubtexunt. Primus author Ioannes Heldensheimenſis Beati Petri ſocius, ſcripſiſſe fertur, ita poſt multas preces ſe ab ipſo accepiſſe:* [In triſtitia mentis & feruentibus deſideriis obdormiui, deſiderans à Beata Virgine religionis meæ patroci

De ſtabilitate Ordinis Carmeli.

trocinium, & conseruationem: ipsa mihi respondit: Petre non timeas, quia durabit in finem Carmeli Religio, nam & pro ea supplicauit etiam filio meo primus Ordinis institutor Elias in Transfiguratione, & impetrauit.] *Facilè hîc hærebit lector, & si fidem omnino non deneget, proculdubio suspendet. Præterquam enim quòd non adeò approbetur, Eliam instituisse ordinem Carmelitanum, idque boni reijciant Authores, quod tamen alij constanter astruunt, mirandum, & inauditum illud videbitur, quod de intercedente Propheta, pro Carmelitarum sodalitio, inter ipsa Transfigurationis arcana refertur. Lucas Euangelista recenset sermones, quos miscebant:* dicebant, *inquit*, excessum, quem completurus erat in Ierusalem. *De Incarnationis mysterio, & mortis Ierosolymis obeundæ dispensatione loquebantur, idque breuissimo temporis interuallo. In eo Triumuiratus consessu, & Christi excessus festina ratiocinatione, quis adeò facilè credet commendatitios hos misceri sermones? aut Eliam arrepta auidè illa occasione, importunè hæc supplicasse, quasi aliud negotiandi sibi non suppeteret tēpus, neq; in felicissimo, quo versatur statu, potuisset Deum, aut Christum pro simili interpellare beneficio? Vt omnibus obuiæ huic difficultati occurreret Cau-*

Lucæ cap. 9.

riensis, egregiè commentus est, hæc corroborari Origenis manifesto testimonio in librum Numerorum; ſcribit, *inquit*, Moyſen pro ſuo populo Iſraëlitico, etſi rebelli & perfido, Chriſtum in Transfiguratione rogaſſe: vt quid non potiori iure Elias pro Religione Carmelitarum, cuius erat inſtitutor, oraret? *& ſubdit*: Hæc Origenes. *Miror ſanè, quàm facilè hæc ſpargantur in vulgus, & non tam pro veritate, quàm pro affectu ſcribantur: Neque apud Origenem, neque apud priſcos illos Patres, quidquam habetur de ſacro hoc inſtituto Carmelitano. Recentior eſt apud authores ſub hoc nomine, ſodalitij notitia, quidquid ſit de origine, ſeu de prima fundatione, de qua nihil definio.*

Quod verò ad rem ipſam attinet, ſimilem promiſsionem de Religionis ſuæ duratione factam S. Franciſco ſcripſimus tomo 1. noſtrorum Annalium, [a] *& in opuſculis eiuſdem Sancti Patris à nobis collectis. Circunferuntur Carmina duo, quæ hanc Virginis ſponſionem commemorant.*

a An. 1313. nu. 36. & tomo 4. an. 1371. nu. 27. & in opuſc. S. Franc. tom. 3. colloqu. 13.

Dum fluet vnda Maris, currétque per æthera Phœbus,
Viuet Carmeli candidus Ordo mihi:

Grauiori trutina, & potiori iudicio hæc examinabit R. P. Ioannes Baptiſta Lezana, vir doctus

ctus & pius, qui nunc in Vrbe huius sacri instituti Annales ponderosè scribit & sincerè.

8. Eius cordi insculptum sacratissimum nomen Mariæ.] *Pium erga Beatam Virginem affectum, & frequentem sacri nominis Mariæ repetitionem multis miraculis commendari, plerique scribunt authores. Thomas Cantipratanus* [b] *refert emeritæ militiæ veteranum, qui monachis Cistercienſibus nomen dedit, & preces nullas præter salutationem Angelicam potuit addiscere, ex frequenti & longo vsu repetitæ orationis tantam dulcedinem concepisse, vt cordi, & ori sola memoria Matris Christi indelebiliter adhæreret; & post mortem, ex illius ore prodierit arbor ignoti generis, cuius folia litteris aureis insignita* Mariæ *nomen notabiliter continebant. Similiter narrat Cæsarius* [c] *de quodam ciue Coloniensi, qui dum eundem versiculum continuo ruminaret affectu, & inter deambulandum frequenter repeteret, visus est post mortem multiplici* Mariæ *nomine insignitus. In Monasterio* [d] *Sancti Bertini Vrbis Audomarensis in Belgio, ex ore Monachi Ioscionis propter similem deuotionem nominis* Mariæ *rosa germinauit pulcherrima literis inscriptis nominis* Mariæ.

Mirabiles parit effectus deuotio erga V. Mariæ nomen.

[b] Cantipr. de Apib. l. 2. c. 29. p. 9.

[c] Cæsar. l. 12. c. 50.

[d] Spec. exempl. dist. 9. c. 119.

9. Qui in Curia Pontificia sui sodalitij

negotia procuraret.] *Præter honorificum hoc munus Procuratoris generalis Prouincialem etiã fuisse in Gallia scribit Saracenus & in Hispania in Prouincia Bætica refert Cauriensis. Sed vterque singularis est in suo asserto, neque enim alij referunt authores aliquando suorum Consodalium regimen suscepisse, multò minùs in Hispania, quam neque à longè salutauit.*

10. Ad Episcopatum Pactensem.] *Multi corrupto legunt* Pacensem. *isque Episcopatus est in Hispania vulgo* Badajoz, *Latinis*, Pax Julia. *& propterea Cauriensis* [e] *lapsus est in Prouincialatu Bætico, vt faciliùs ad vicinæ prouinciæ Extremæ-Durcæ Ecclesiam transferret; timet tamen alibi* [f] *ne vitium irrepserit impressionis, & pro* Pactensi, *scriptum sit* Pacensis. *Rodericus de Osma Pacensis in discursibus patriis in eundem incidit errorem, Syluester Marulus* [g] *ampliùs oberrans inscribit* Precatensem. *Maior est lapsus Saraceni, qui ad hunc Episcopatum à Clemente VI. assumptum dixerat, dum ille dignitatem acceperit ab Innocentio Clementis successore.*

e Caur. lib. 1, ca. 10.

f Lib. 11. c. 11.

g Marul. citat. in Elogiis.

11. Ecclesia Coronensi.] *Ante hanc habuisse etiam Ecclesiam Militensem scribit Ioannes Balæus,* [h] *aliàs damnatæ memoriæ author: alij huius Ecclesiæ non meminerunt, neque in Registro Vaticano translationis habetur monumentum.*

h Bal. cēt tur. 5. de scriptor. Britan.

mentum. Petrus etiam Galesinius Famagustæ Episcopum inscribit, sed perperàm, deceptus ex loco obitus & sepulturæ.

12. In legatione.] *Amplissimæ legationis terminos dicere licet ex Pontificio Diplomate in appendice num. 22. malè Syluester Marulus ad solam Alexandriam restrinxit.*

13. Ad Patriarchatum Constantinopolitanum.] *Speculum & viridarium Ordinis Carmelitarum*, Patriarcham *vocant* Alexandrinum. *Ortus est error ex deuicta legationis tempore Alexandriâ.*

14. Bononiæ.] *Vrbem hanc B. Petri Thomæ opera à Regulorum, & Tyrannorum Italiæ seruitute ad Pontificis obedientiam rediisse scribit prædictus Balæus: eúmque primum illuc introduxisse Theologiam Sorbonicam. Circa primum poterit dubitari, namque anno 1360. Ioannes Aulegius, qui Vrbem retinebat, timens Barnabouis Vicecomitis, Reguli Mediolanensis, potentiam, Vrbem tradidit Ægidio Albornotio Innocentij Sexti, & Sedis Apostolicæ in Italia Legato, accepta permutationis titulo in Piceno Vrbe Firmana. Petrus autem non nisi biennio post traditam Vrbem rediit ex sua legatione vltramarina, Innocentio iam defuncto, eique substituto Vrbano V. Verum est turbatis adhuc rebus, & aspirante*

An B. Petri opera restituta sit Bononia Pontifici?

Vide Pign. l. 4. & 5. histor.

Ferra. ad ann. 1363. & B. lon. dec. 2. li. 10.

Vicecomite ad Bononiense dominium, superueniſſe B. Petrum, & Philippum Mazzerium, Venetiis miſſos, anno 1363. à Petro Rege Cypri pacis arbitro, eóſque concordiæ capita ſcripſiſſe: vnum illud erat, vt ſoluente Pontifice quingenta millia florenorum, Bononia penes ipſum remaneret. Secundum autem de fundato per illum ſtudio Theologico Bononiæ, verum eſt adhibitis ſociis, & conceſſo priùs ab Innocentio Diplomate erigendæ Academiæ illius facultatis. Rei memoria conſeruatur in tabulis & vetuſtis libris ipſius vniuerſitatis, ex quibus quæ ſequuntur, ſunt exſcripta.

An Academiam Theologicam Bononiæ fundauerit.

„ [In libro Collegij Theologorum poſt præmiſſam ipſam fundationem ſubiungitur: Huius rei fama per vniuerſum volante, tempore Reuerendiſſ. in Chriſto Patris, & D.D. Androyni Cardinalis Cluniacenſis, Bononiæ, & in ciuitatibus Eccleſiæ in Italia conſtituti Apoſtolicæ Sedis Legati, atque Venerabilis in Chriſto Patris, & D.D. Aymerici Bononienſis Epiſcopi, noſtræ Sacræ Theologiæ facultatis digniſſimi Cancellarij, ad fundandum, & inchoandum Bononienſe ſtudium Theologicæ facultatis ex diuerſis mundi partibus huc acceſſerunt viri ſacræ lectioni dediti, & in lege Domini eruditi, Doctores vtique

Theo

Theologi, ſcientia, moribus, & virtutibus „
inſigniti, quorum Magiſtrorum nomina, „
digna memoria, ſunt iſta. „

1. Mag. PETRVS THOMAS, „
natione Aquitanus, tunc Dei gratia, Pa- „
triarcha Conſtantinopolitanus, Ordinis „
S. Mariæ de Monte Carmelo. „

2. Mag. Vgolinus de Vrbe veteri, Do- „
ctor acutiſſimi ingenij, Ordinis Herem. „
S. Auguſtini. „

3. Mag. Franciſcus Adrian. Bonon. Vir „
Angelicæ vitæ, Ordinis Minorum. „

4. Mag. Thomas de Padua Textualis „
eximius, & eloquentia clarus, Ordinis „
Carmelitarum. „

5. Mag. Thomas de Fregnano de Muti- „
na, Doctor vtique moribus inſignitus, & „
fidei zelator intrepidus Ord. Minorum. „

6. Mag. Petrus Monachus Cluniacen- „
ſis, D. Cardinalis Cluniac. auditor, & ſo- „
cius commenſalis. „

7. Mag. Ioannes de Podio Doctor ſpe- „
culatiuus, & hæreticorum malleus nun- „
quam feſſus, Ord. Prædicatorum. „

8. Mag Bonauentura de Padua, vir tam „
diuinarum ſcripturarum, quàm ſæcula- „
rium litterarum Commentator præfulgi- „
dus, Ordinis Eremitarum. „

9. Mag.

„ 9. Mag. Ludouicus de Venetiis vrba-
„ næ eloquentiæ Pater, nec habens quic-
„ quam rusticitatis admistum, Ordinis Mi-
„ norum.

„ Hi omnes veluti nouem Musarum imi-
„ tatores, Almam Theologorum faculta-
„ tem, & Vniuersitatem instituerunt, &c.]

15. Cypri Cancellarius.] *Hic ille est Philippus Mazzerius, quem in præfatione diximus vitam sancti viri scripsisse, vti testantur Gesnerus, Balæus, Molanus, Posseuinus, & alij. Ab Authore acceptam transportârunt in patriam duo Nobiles Angli, Ioannes Grey, & N. Stapiltonus qui cum Cruce signatis transfretarunt, & expugnationi Alexandriæ interfuerunt. Corruptè hunc quidam vocârunt Philippum de Nazareis. Vir magnæ fuit authoritatis apud Reges Cyprios, vt propterea missus sit Orator ad Gregorium XI. Sæpè occurrit honorifica eius mentio in Registro Vrbani V. & prænumerati Gregorij.*

16. Correptum infirmitate oportuit subsidere.] *Famagustæ scilicet, vbi sancto fine vitam terminauit. Errant itaque Saracenus, Cauriensis, & Breuiarium, qui in conflictu Alexandrino periisse dicunt, & corpus inde Famagustam translatum. Errauit etiam Syluester Marulus dum scripsit Famagustæ*

vulne

vulneratum ab infidelibus. Epitaphij loco hæc duo inculta carmina à Discipulo Ioanne, Hildensheimensi incisa referuntur.

Virgo virum rege virgineum, qui Virginis almæ
Conspicuum titulum gerit, huic sibi da loca palmæ.

17. Anno 1366.] *Corrigendi Saracenus, & Marulus, qui anno millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, & Thomas à Iesu* [i] *qui anno milles. tercentes. quinquagesimo narrant obiisse.*

[i] Thom. à Iesu lib. 1. antiq. Carmeli c. 6.

18. *Ioannes Fauentinus Minorita, an Fauentia Romanulæ vrbe oriundus?* Fauentium *aliqui cognominant, & ex Mazzerio vitam scripsisse referunt. At posterius scripsit Mazzerius, quippe in vita à se concinnata Fauentiam eandem scripsisse commemorat.*

Coronidis loco exhibeo lectiones & orationem recitandas in officio sancti Viri à me compositas, in recognitione Breuiarij Carmelitani, adhuc indecisa.

Lectiones 2. Nocturni.

Lectio quarta.

P*Etrus Thomas humili loco & genere in Aquitania natus, ab ineunte ætate literarum*

rum studio, & B. Virginis cultui solerter addictus, religionis eiusdem Dei genitricis de Monte Carmelo habitum suscepit. Tyrocinio expleto, ieiuniis, vigiliis, & continua oratione sensus ita coërcuit, ne quid in susceptum à se institutum peccaret, vt reliquo vitæ tempore felici virtutum incremento fratres omnes exemplo præiret. Rebus necessariis aliquando destituto B. Virgo promisit nihil defuturum; quod sequentis diei probauit miraculum, acceptis ab ignoto mercatore tot aureis nummis, quot depellendæ sufficiebant egestati.

Lectio quinta.

LVtetiam semel atque iterum missus, Sacræ Theologiæ lauream adeptus, doctos libros conscripsit, & disertissimos Auinione habuit in aula Pontificia sermones. Procurator generalis sui Ordinis institutus, docendi, & prædicandi munus non intermisit, animarum lucrum & religionis negotia ex æquo procurans. In quadam sui Ordinis pressura recurrit ad B. Virginem Mariam, tutissimum suarum afflictionum remedium, vt grauem auerteret persecutionem, & sodalitium sibi consecratum firma stabilitate muniret. Cui illa suam opem pollicita, dixit: Religio ista perpe

perpetuò contra omnes aduersitates inconcussa meo munere permanebit.

Lectio sexta.

AB Innocentio sexto pacificandis Principibus, & fidei promouendæ ad varias prouincias allegatus, incredibile est, quibus ærumnis, laboribus & animi constantia iniunctum munus exercuit, & Sedis Apostolicæ authoritatem sustinuit. Ad Pactensem, aliasque insignes Ecclesias assumptus, demum ab Vrbano quinto Patriarcha Constantinopolitanus, & Sedis Apostolicæ delectus Legatus, in expeditione Syriaca simul cum Petro Cypri Rege Vrbem expugnauit Alexandriam. In Cyprum reuersus Famagustæ incidit in febrim, præmißisque omnibus pietatis officiis sanctissimè obiit, anno millesimo tercentesimo sexagesimo sexto, octauo Idus Ianuarij. Multis in vita & post mortem clarus miraculis, ingentem in illo Regno obtinuit venerationem.

Oratio.

Oratio.

BEati Petri Confessoris tui atque Pontificis, quæsumus Domine, meritis & intercessione placatus, indulgentiam nobis tribue peccatorum, & omnia mala à nobis propitiatus exclude. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. Amen.

APPEN



APPENDIX BVLLARVM, QVÆ B. PETRI THOMÆ RES GESTAS CONCERNVNT.

BVLLA I.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis, Archidiaconis, Rectoribus, & aliis Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatis, &c.

Vt misso ad Januenses & Mediolanenses velint adesse.

Ex reg. Vat. libr. secretorum anni primi. fo. 194.

CVM dilectum Filium Petrum Thomæ, Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, Magistrum in Theologia, latorem præsentium, ad ciuita

F

uitatem Ianuenſem & Mediolanenſem pro quibuſdam negotiis, per nos ſibi commiſſis, duxerimus deſtinandum, Vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus eundem latorem, cùm per partes veſtras tranſitum fecerit, ob reuerentiam Sedis Apoſtolicæ, & noſtram, benignè recipientes, & honeſtè tractantes, ſibi quamdiu in huiuſmodi negotiorum proſecutione fuerit, diebus ſingulis in duobus florenis auri, pro ſuis, & familiæ ſuæ neceſſitatibus, & de ſecuro conductu, cum ſuper his per ipſum, vel eius nuntium fueritis requiſiti, in eundo, morando, & ad nos redeundo liberaliter prouidere curetis, ita quòd exinde deuotionem veſtram commendare meritò valeamus: Alioquin ſententiam, quam idem Petrus per ſe, vel alium, ſeu alios ritè tulerit contrà rebelles, ſuperquo ſibi tenore præſentium plenam concedimus facultatem, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino vſque ad ſatisfactionem condignam appellatione remota, infallibiliter obſeruari:

ſeruari : Non obſtante quòd aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem Sede indultum exiſtat, quòd Nunciis Sedis ipſius aliquam procurationem exhibere, vel in ea contribuere, niſi ad eos declinauerint minimè teneantur, &c. Datum Auinione Nonis Octobris, Pontificatus noſtri anno primo.

BVLLA II.

Innocentius, &c.

Venerabili Fratri Petro Epiſcopo Pactenſi, & Lippariensi ſalutem.

Inſtituitur Epiſcopus Pacten. & Lipparien.

PAſtoralis officij, cui diſponente Domino, præſidemus, vt de vniuerſi orbis Eccleſiis, quarum cura nobis imminet generalis, & de illis præſertim, quæ vacationis exponuntur incommodis, ſollicitè cogitemus, vt illis præficiantur viri Ex libr. 3.ann. 2. fol. 57.

prouidi in Paſtores, qui eas in ſpirituali-
bus & temporalibus poſſint, & ſciant ſa-
lubriter gubernare. Dudum ſiquidem
bon. memor. Petro Pactenſi, & Lippa-
rienſi Epiſcopo, regimini Pactenſis &
Lipparienſis Eccleſiarum inuicem cano-
nicè vnitarum præſidente: Nos cupientes
eiſdem Eccleſiis, cùm eas quouis modo
vacare contingat; operationis noſtræ mi-
niſterio, vtilem præſidere perſonam, pro-
uiſionem ipſarum Eccleſiarum ordinatio-
ni, & diſpoſitioni noſtræ ea vice duximus
ſpecialiter reſeruandam, decernendo ex
tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper iis,
per quoſcunque, quauis authoritate, ſciē-
ter, vel ignoranter contingeret attentari.
Poſtmodùm verò præfatis Eccleſiis per
obitum eiuſdem Petri Epiſcopi, qui extra
Romanam curiam diem clauſit extre-
mum, Paſtoris ſolatio deſtitutis, Nos va-
catione huiuſmodi fide dignis relationi-
bus intellecta, ad prouiſionem dictarum
Eccleſiarum celerem & fœlicem, de qua
nullus præter nos ea vice ſe intromittere
poterat, reſeruatione & decreto obſiſten-
tibus ſupradictis, ne prolixæ vacationis
expone

exponerentur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes; poſt deliberationem, quam de præficienda eiſdem Eccleſiis perſona vtili, & etiam fructuoſa, cum fratribus noſtris habuimus diligentem. Demùm ad te Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli Profeſſorem, in ſacra Theologia Magiſtrum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ, ac morum honeſtate, ſpiritualium prouidentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque virtutum meritis, apud nos laudabilia teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, præfatis Pactenſi & Lipparienſi Eccleſiis, de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio, authoritate Apoſtolica duximus prouidendum, Téque illis præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſarum Eccleſiarum, & in ſpiritualibus & temporalibus plenariè commitendo; Tibique poſtmodùm per Venerabilem Fratrem noſtrum Guidonem Epiſcopum Portuenſem, apud Apoſtolicam Sedem

fecimus munus conſecrationis impendi; in illo qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quòd eædem Eccleſiæ pro tuæ circumſpectionis induſtria & prouidentia circumſpecta, ſub tuo fœlici regimine, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, ſalubriter & proſperè dirigentur. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad præfatas Eccleſias cum gratia noſtræ benedictionis accedens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicitè, fideliter, & prudenter, quòd dictæ Eccleſiæ gubernatori prouido & fructuoſo adminiſtratori gaudeant ſe commiſſas: Túque præter retributionis æternæ præmium, beneuolentiam noſtræ gratiæ vberiùs conſequi merearis. Datum Auinione 16. Calendas Decembris anno ſecundo.

BVLLA

BVLLA III.

Innocentius, &c.

Stephano Regi Raſſiæ illuſtri, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Hortatur vt fidem promoueat Romanam, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios benignè recipiat.

PEr dilectos filios nobiles viros Boſſidarium Iudicem generalem, & Neſtegium Cephatiam Geren. ac Damianum de Cathara ciuem Cataren. Apocriſarios & procuratores Magnitudinis tuæ ad nos & Sedem Apoſtolicam, diebus non longè præteritis deſtinatos, & præſentatas nobis per Apocriſarios ipſos literas regias, aurea tua Bulla munitas, noſtro Apoſtolatui intimaſti, quòd audito, quòd quidam Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælati regni tui, fideles eiuſdem Eccleſiæ, erant Eccleſiis & Mona- Ex lib. ſecretorum an. 2. fo. 222.

 ſteriis,

ſteriis, in quibus canonicè inſtituti fuerant, per quoſdam abominationis filios contra iuſtitiam deſtituti, & quòd alij quidam eiſdem, ac aliis fidelibus S. R E. Catholicæ ac Apoſtolicæ in eodem regno morantibus, iniurias & contumelias irrogârunt, & quoſdam ex fidelibus ipſis ad reiterandum Baptiſmatis & Confirmationis, per eos ritè ſuſcepta, irreiterabilia ſacramenta, inuitos coëgerant, non ſine graui offenſa Dei, & læſione fidei Chriſtianæ. Tu velut ſincerus ipſius fidei zelator & cultor, id moleſtè ferens ac gerens, prout debueras, admodùm diſplicenter, & cupiens pro reuerentia Redemptoris tui, qui eiuſdem author eſt fidei, & pro ſalutis tuæ merito, tantis malis prouiſionis tuæ ſtudio ſalubriter obuiare, ſub indignationis tuæ pœna diſtrictè præceperas Prælatos deſtitutos eoſdem ad Eccleſias & Monaſteria ipſa, quibus fuerunt, ſicut præmittitur, deſtituti, reſtitui cum effectu, ſex Monaſteriis tunc expreſſis dumtaxat exceptis, quibus de propriis Abbatibus ad euitanda ſcandala & pericula imminentia tunc reſtitutio
non

non poterat fieri, & ad quæ poſtmodùm temporis opportunitate captata, illos reſtitui procuraſti, quódque publicè ac patenter, & ſub formidabilibus pœnis edixeras, quòd nulla Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona Latinos, vel alios fideles eiuſdem Eccleſiæ ſecundùm verum & Catholicum ritum eius baptizatos & confirmatos, rebaptizare, ſeu reconfirmare, aut eiſdem fidelibus iniuriam, ſeu violentiam irrogare, ſiue ipſos perſequi, vel moleſtare præſumeret quoquo modo: Et quòd omnes Epiſcopi, Abbates, & alij Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælati, presbyteri, & clerici ſæculares, & regulares fideles ipſius Eccleſiæ vbicunque, & quomodocunque in regno detenti prædicto, reſtituerentur debitæ libertati, & ad Eccleſias, Monaſteria, & Eccleſiaſtica beneficia quælibet liberè, & ſine impedimento redirent, diuina in eis celebrarentur officia, & prout ad eas aliàs pertineret, miniſtrarent eiſdē, ac aliis Chriſti fidelibus iuxta præfatæ Eccleſiæ conſuetudinem rectam, & obſeruantiam ſalutarem, Eccleſiaſtica ſacramenta; &

quòd licitum esset omnibus in dicto regno morantibus fidem, quam Ecclesia ipsa tenet, docet, & prædicat, tenere liberè, ac prout eis competeret, illam docere voce libera, & publicè prædicare; & quòd vt sinceriorem te probares, verioribus argumentis ipsius Catholicæ fidei amatorem, eos, qui secundùm huiusmodi vitam, & formam Ecclesiæ prædictæ Baptismatis, & Confirmationis susceperant sacramenta, & vel vi, metúve coacti, sicut prædicitur, ne forsan errore deuij, huiusmodi sacramenta, iuxta vsum, imò abusum veriùs, & abominationem aliam damnabiliter iterarant, arbitrio eorum libertatíque relinquens, ipsis ab huiusmodi reatu beneficium absolutionis impendi, cósque reaggregari vnitati eiusdem Ecclesiæ deuota mente petieras, ac pio studio procuraras, ac tandem Ecclesiam ipsam Dominam & magistram Christianorum omnium, ac Romanum Pontificem vniuersalem Christianorum ipsorum Patrem, & verum ipsius Christi Vicarium, ac B. Petri Apostolorum Principis successorem, firmiter asserens, simplici

pliciter confitens, & humiliter recognoſcens, deuota inſtantia ſupplicaſti, vt tibi Apoſtolicæ benedictionis munus per Apoſtolicas literas mittere, & nihilominus deſtinare ad regnum ipſum aliquos viros probos, timentes Deum, & in lege ipſius plenè eruditos, qui Venerabilis fratris noſtri Bartholomæi Epiſcopi Tragurien. dudum in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Nuncij fœliciter, fauente Deo, inchoatis operibus proſecutionis adiicerent ſtudium, per quod ad optatum perducerentur effectum, dignaremur. Idémque Tragurienſis Epiſcopus, cuius relatibus adhiberi fidem per eaſdem literas petiiſti, nobis expoſuit, quòd tu populo Chriſtiano partium Orientis ſuper afflictionibus, & perſecutionibus duris, quibus eos Turcarum furor immanis indeſinenter anguriat, viſcera pietatis Regiæ ad compaſſionem aperiens, & ad opprobria exprobrantium nomini Chriſtiano tollenda & auferendam perfidam gentem credentium de finibus, attendens animi tui zelum, & excitans potentiam regiæ dignitatis, deſiderabas ab eadem

Eccle

Ecclesia matre tua contra Turcas ipsos Capitaneus ordinari, vt ipsius Ecclesiæ spirituali adiutus auxilio, & directus consilio, in virtute Altissimi, qui piis fauet libenter operibus, gregem Domini, ipsum videlicet populum, de luporum eorundem, scilicet Turcarum, faucibus potenter erueres, & subactam iugo miserabilis seruitutis Christianam absolueres libertatem. Quibus omnibus intellectis exultauit cor nostrum in Domino, lætatus est spiritus, & mens ipsa in iubilum gaudij potioris erupit, ac eadem Ecclesia mater tua ei, qui vbi vult, spirat, & corda Regum in manu sua continet potestatis; quíque hunc tibi formauit animum, & infudit affectum, suppliciter agens humiles gratias, & laudationum debita vota persoluens, ipsum orauit, & orat assiduè, vt te in hac zeli rectitudine, in hoc feruore spiritus, in hac puritate fidei, in hac deuotionis sinceritate conseruet, diésque tuos & longæuos faciat, & post bella Domini, ad quæ robur tuæ potentiæ animosè & strenuè obtulisti, feliciter consummata, in sua pace disponat, sícque tibi te

ac

ac ſubditas nationes regere & gubernare concedat, quòd poſt huius labilis peregrinationis excurſum vnà cum eis ad Sancta Sanctorum puris introire mentibus mercaris. Porrò, fili chariſſime, poſt dictorum Apocriſariorum ad te reditum, affectionis, quam ad tanti boni fœlicem exitum nimirùm gerimus, nos continua ſollicitauit inſtantia, & eò nobis ſtudium diligentiæ potioris indixit attentiùs, quò in rebus auidè concupitis, ſicuti frequenter experientia didiciſſe te credimus, ipſa quoque celeritas, ſæpè tarditas reputatur. Tandem cogitantes, & perquirentes cum omni ſolertia viros, quos tanti miniſterij promotioni vtili vtiliter deputare poſſemus, inter cæteros, quos indagationi noſtræ idoneos ad huiuſmodi miniſterium conſideratio multiplex obtulit, idem Epiſcopus Tragurien. occurrit. Etenim ipſe, cùm ſit tibi familiariter notus, & ſicut eædem literæ teſtabantur, pro meritis ſuis acceptus & carus, poterit efficacior promotor eſſe negotij, & pro eo, quod tanto bono, bonum, Deo fauente, dedit initium, vt il-
lud

lud ad finem ipſo dirigente ac promouente perducat, inſtantiùs laborabit, cum ex more, opifex quilibet conſummationem ſui afficiatur ad operis, & ad conſeruationem eius ſollicitus iudicatur. Cui & Venerabilem fratrem noſtrum Petrum Epiſcopum Pacten. Magiſtrum in ſacra pagina, virum vtique religioſum, vita, moribus, & conuerſatione laudabilem, & plenum timore Domini, dedimus ſocium, ac ſimul ambos ad te, ipſúmque regnum tuum ſub fiducia eius, qui concordiam in ſublimibus ſuis parat, quíque parietem vtrumque connexuit, præſentialiter deſtinamus, vt ex ſparſo in eodem regno per Epiſcopum Tragurien. eundem ſemine verbi Dominici, vitalem ſegetem pullulantem doctrinæ ſalutaris aqua irrigent, ſuccidant renaſcentium ſpinas errorum, euellant ſchiſmatum ſuccreſcentium tribulos, & ſeminatorum eradicent zizania ſcandalorum, ſícque ex huiuſmodi ſegete diligentibus purgata cultoribus, dante illi Domino incrementum, manipulorum multitudo, fidelium ſcilicet numerus copioſus meſſis in tempo

B. Petrus laudatur.

tempore colligatur, & fides ipsa, quam mediator Dei & hominum Christus supra firmam Petri petram, id est, ipsam Romanam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, cuius ipse Christus caput fundator, & rector est, sic firmiter stabiliuit, sicque illam eidem Ecclesiæ inseparabiliter copulauit, quòd licèt multos ab ipsius Ecclesiæ corpore, fallente diabolo, vel contagiosus hæresis morbus abiecerit, vel scissura damnati schismatis separârit; ipsius tamen fidei immaculata sinceritas apud eandem Ecclesiam permanens, veluti tritici granum in area, quod per paleæ purgatur abscessum, & lux fulgentis syderis, quæ irradiat per excussionem obfuscantium nebularum splendidiùs, clarior elucescit, palmites suos vbique dilatans, figénsque radices, emicet purior, & fructus, quibus eadem mater Ecclesia, quasi renascentis prolis numerositate fœcunda, authori suo iucunditatis & lætitiæ cantica replicet, in vbertate producat. Quapropter Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino,

no, illam attenté rogantes, tibique in remissionem tuorum peccaminum suadẽtes, quatenus eosdẽ Episcopos pro nostra & Apostolicæ Sedis reuerentia benignè recipias, & fauorabiliter prosequaris, ipsorúmque salutaribus monitis & doctrinæ deuotiùs acquiescas, ac intuens, quòd Dei nostri perfecta sunt opera, & quòd iuxta Euangelicam veritatem, non qui inceperit, sed qui perseuerauerit, saluus erit, ipsius Redemptoris tui actiones pro viribus imiteris, ac in bono constanter opere perseuerans ad ipsius fœliciter inchoati negotij votiuam consummationem, sic velut diligens operator solerter intendas, quòd in eo, præstante Domino, & tuo cooperante ministerio studioso, nostris, & communibus fidelium Christi votis & expectationibus satisfiat: Ipséque retributor omnium bonorum Deus, cuius est idem negotium propriè proprium, & cui nunquam sine remuneratione seruitur, eiusdem regni tui terminos ampliet, dilatet fines, thronum corroboret, & sceptra confirmet; ac tandem te, subiectósque tibi populos cœlestis regni faciat cohæredes:

hæredes : Nóſque non ſolùm in huiuſmodi Capitaneatus officio, ſed in quibuſcunque aliis honeſtis & licitis, vota tua quantùm cum Deo poterimus, Apoſtolicis fauoribus proſequamur. Datum Auinione 8. Calendas Ianuarij anno ſecundo.

BVLLA IV.

Innocentius, &c.

Helenæ Reginæ Raſſiæ illuſtri gratiam in præſenti, quę perducat ad gloriam in futuro.

Eadem Reginæ commendat.

STephanus Rex Raſſiæ illuſtris vir tuus diebus non longè præteritis, per dilectos filios nobiles viros Boſſidarium Iudicem generalem, &c. *vt ſuprà mutatis mutandis.* Similiter Oroſio Raſſiæ Regi, Stephani filio. Ibid. fol. 224.

BVLLA V.

Innocentius, &c.

Joannichi Patriarchæ Seruiæ gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Eadem Patriarchæ inculcat.

Ibid. fol. 225. MEdiator Dei & hominum Christus Iesus, in petra Petri Romana videlicet & Catholica, ac Apostolica Ecclesia omnium fidelium Christi matre, quam solus ipse fundauit, & rexit, ac regit, & quæ super cunctas alias orbis Ecclesias obtinet diuina dispositione primatum fidei, cuius idem ipse Christus author est, sic solidè fundata creauit, sícque illam insolubili vinculo, & inseparabili vnione copulauit eidem, quòd licèt multas ab ipsius Ecclesiæ corpore fallente diabolo, vel contagiosus hæresis morbus abiecerit, vel scissura damnati schismatis separârit; ipsius tamen fidei immaculata sinceritas apud eandem Ecclesiam inse

inſeparabiliter permanens velut granum tritici, &c. *vt ſuprà*: purior eluceſcit. Hæc ſanè chariſſimus in Chriſto filius noſter Stephanus Rex Raſſiæ illuſtris prudenter conſiderans, & dolens multos ex nationibus & ſubditis ab eadem Eccleſia per ſciſſuram inueterati ſchiſmatis, procurante ſeminatore ſcandali, patre doli fuiſſe diuiſos, ac ſaluti multitudinis, quæ ignara itineris veritatis, per abrupta gradiens in præcipitium ruit, & quaſi nauis in mediis fluctibus ſine remigio mergitur, deſiderans prouidere, apud nos per literas & Nuntios ſuos ſuppliciter inſtitit, vt ad partes ipſas viros aliquos timentes Deum, & in lege eius pleniùs eruditos tranſmittere dignaremur, qui errorum inde tribulis extirpatis, & euulſis ſpinis quorumlibet ſcandalorum, in eis ſererent ſemen vitæ. Nos autem præfati Regis huiuſmodi pium deſiderium & laudabile propoſitum opportunis in Domino fauoribus proſequentes, & ſperantes in illo, qui eſt verum lumen de lumine, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, quíque lapis

est angularis missus, ipsius Ecclesiæ fundamentum, parietem vtrumque connectens, quòd ipse de cordibus ignorantium quorumcúnque ignorantiæ tenebras virtutis suæ potentia effugabit, & illuminabit claritatis suæ luce oculos mentium eorundem, vt gressus eorum ab inuio retrahant, & dirigant in salutem, ac ad eandem Ecclesiam vniuersalem omnium fidelium Christi matrem conuersi, incipiant Christo viuere, qui viuentes mundo ipsi Christo mortui comprobantur, Venerabiles fratres nostros Bartholomæum Traguriien. & Petrum Pacten. Episcopos Apostolicæ Sedis Nuncios, viros vtique probitatis expertæ, profundæ scientiæ, probatæ virtutis, ac zelum diuinæ legis habentes, ad Seruiæ, Rassiæ, & Albaniæ regna & terras præfati Regis subiectas dominio prouidimus destinandos. Ideóque discretionem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attentiùs deprecantes, tibíque in remissionem tuorum peccaminum iniungentes, quatenus prudenter considerans, quòd sicut fides, quæ non nisi vna est,

est, & in nullo potest sui esse dissimilis, apud eandem Ecclesiam inseparabiliter, sicut præmittitur, permanet; sic qui extra ipsius Ecclesiæ communionem fuerit, est proculdubiò extra fidem, & qui extra fidem manserit diuinæ gratiæ particeps esse non poterit, nec adoptionem recipiet filiorum, ac intuens quòd specialiter tibi, qui in grege Domini, ipsa videlicet multitudine Pastoris geris officium, quanquam illicitè, cùm non per ostium, id est, per ipsam Ecclesiam in ouile ouium, sed aliunde intraueris, incumbit ex debito, vt priùs viam veritatis intelligas & custodias intellectam, & sic per illam incedens puris ac rectis gressibus, eidem gregi, via, moribus, & doctrina ducatum præbeas, ad salutem, sícque illum ad æternæ vitæ pascua introducas, dictos Episcopos, tanquam Dei ministros, pro diuinæ Maiestatis, ac nostra, & Apostolicæ Sedis reuerentia benignè recipias, honorificè tractes, ac fauorabiliter prosequaris, & eorum salutaribus monitis, & doctrinæ deuotiùs acquiescas, ipsísque in prosecutione tam salutaris & Deo

Schismaticè electus.

Deo accepti negotij aſſiſtas conſiliis & auxiliis opportunis : Itaque negotium ipſum, præſtante Deo, cuius eſt propriè proprium, & tuo cooperanti miniſterio ſtudioſo, votiuum perducatur ad exitum, & eandem Eccleſiam renaſcentis prolis multitudo lætificet : túque à retributore bonorum omnium, cui nunquam ſine remuneratione ſeruitur, mercedis præmium æternæ vitæ gloriam percipere merearis. Datum Auinione VIII. Idus Ianuarij anno ſecundo.

BVLLA

BVLLA VI.

Innocentius, &c.

Venerabilibus fratribus Bartholomæo Tragurien. & Petro Pacten. Epiſcopis, Apoſtolicæ Sedis Nunciis ſalutem.

Mittuntur Sedis Apoſtolici Nuntij ad regnum Raſſiæ Albaniæ, & Sclauoniæ, aliáſque partes adiacentes.

INter cætera, quæ Apoſtolatus officio, cui quanquam immeriti, diſponente Domino, præſidemus, imminent peragenda, illud potiſſimè humeris noſtris incumbit, vt contra hæreticorum, & ſchiſmaticorum venena peſtifera, quibus Catholicæ fidei puritatem conantur inficere, per nos, & alios prout locorum, & temporum qualitas exigit, partes Apoſtolicæ ſollicitudinis apponamus. Nuper ſiquidem rumor infeſtus ad noſtrum, non ſine graui mentis turbatione, perdu- Ibid. fol. 227.

xit auditum, quòd nonnulli iniquitatis filij, ſolo nomine ſe Chriſtianos profitentes, fidei tamen Chriſtianæ prorſus aduerſi in regno Raſſiæ, Albaniæ, & Sclauoniæ, ac aliis circumadiacentibus partibus, inconſutilem tunicam Domini noſtri diuidere, & lacerare conantes, ac perniciosa ſchiſmata ſuſcitantes, nouas inducunt ſectas, varióſque ſeminare moliuntur errores. Ex quibus, vt aliquos recitemus, falsò & pertinaciter aſſerunt, *Spiritum ſanctum non à Filio, ſed à ſolo Patre procedere*; non attendentes quòd ſicut ſacroſancta Romana, Catholica & Apoſtolica Eccleſia, mater fidelium omnium & magiſtra tenet, & docet, ac orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter, atque Græcorum habet incommutabilis & vera ſententia, ſacríque Concilij declarat authoritas, idem Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre & Filio, quaſi ex vno principio, vnica ſpiratione procedit. Item mendaciter aſſerunt contra ea, quæ præfata Romana docet, & tenet Eccleſia, *Corpus Chriſti non in azymo, ſed in fermentato pane conſici debere*;

bere; & quòd in azymo confectum eſt, eſſe denegant Corpus Chriſti, illúdque in ſuæ damnationis cumulum blaſphemiis inclamare, deturpare manibus, & quod ſceleratius eſt, conculcare pedibus non verentur. Dicunt etiam *formam Baptiſmatis & Confirmationis iuxta ritum, quē Apoſtolica ſeruat Eccleſia, falſam eſſe*, ac iuxta formam huiuſmodi baptizatos & confirmatos, Baptiſmati & Confirmationi ſic ſuſceptis damnabiliter renuntiare, & rebaptizari, & reconfirmari compellunt. Prætereà damnabili deteſtatione dicuntur aſſerere, *eandem Eccleſiam*, (cui vniuerſi Chriſtianæ fidei profeſſores ſubeſſe noſcuntur, ciúſque tenentur inſtituta ſeruare in pleríſque aliis, quæ præſentibus exprimere non curamus) *à veræ fidei tramite deuiare.* Intelleximus etiam, quòd nonnulli Archiepiſcopi & Epiſcopi partium earundem ſacros Ordines indecenter, & contra ſacrorum Canonum inſtituta conferunt; & ſuper matrimoniis contrahendis in gradibus prohibitis diſpenſare, contra inſtituta præfata propria temeritate præſumunt: quódque Reli-

gioſi complures mendicantium Ordinum commiſſum ſibi fore ab Apoſtolica Sede in eiſdem partibus legationis officium minùs veraciter aſſerunt, eóque prætextu nonnulla temerè attentare præſumunt, in ſuarum & aliarum animarum periculum, & ſcandalum plurimorum. Cupientes igitur huiuſmodi eiuſdem Orthodoxæ fidei, & animarum periculis, prout ex debito præmiſſi tenemur officij, opportunis & efficacibus ſtudiis obuiare, ac de veſtræ circunſpectionis induſtria gerentes in iis, & aliis, fiduciam in Domino ſpecialem, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrûm ad loca dictarum partium, de quibus vobis magis expedire videbitur, vos perſonaliter conferentes, & contra errantes, præſumptores, attentatores huiuſmodi pro Eccleſia ſancta Dei vos defenſionis murum viriliter opponentes, præmiſſa ſchiſmata diſſipare, ſectas diſſoluere, errores euellere, exceſſus corrigere, deformata reformare, & errantes ipſos ad veram ipſius Catholicæ fidei vnitatem, &

Eccle

Eccleſiæ præfatæ ritus & mores reducere, quantum vobis inſpirabit Altiſſimus, auctoritate noſtra fideliter ſtudeatis, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Contradictores quoſlibet & rebelles cuiuſcunque præeminentiæ, ſtatus, Ordinis, vel conditionis exiſtant, auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Quæcunque verò in præmiſſis duxeritis facienda, & quæ vobis aliàs circa hæc videantur agenda, nobis fideliter & ſolerter intimare curetis, vt ſuper ipſis prouidere ſalubriter, auctore Domino, valeamus. Datum Auinione VI. Calendas Ianuarij anno ſecundo.

BVLLA

BVLLA VII.

Innocentius, &c.

Chariſſimo in Chriſto filio Ludouico Regi Hungariæ illuſtri ſalutem.

Commendat ei prædictos Nuncios.

Ibid. fol. 238.

CVm Venerabiles Fratres noſtros Bartholomæum Tragurien. & Petrum Pacten. Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Nuntios pro vniendis & aggregandis vnitati Eccleſiæ matri ſuæ, auctore Domino, Rege Raſſiæ illuſtri, & populis ſubditis ipſi Regi, ad partes illas præſentialiter deſtinemus, Serenitatem tuam attentè requirimus, & rogamus, quatenus eiſdem Nuntiis, quibus ſuper præmiſſis aliqua tibi exponēda oretenùs duximus iniungenda, in iis, quæ tibi pro parte noſtra retulerint, adhibens plenam fidem, eis in promotione & conſummatione tam ſalutaris & Deo grati negotij, pro diuinæ Maie

Maieſtatis reuerentia, tuæ conſideratione ſalutis, & noſtræ interuentionis obtentu, tuum, de quo ſpecialiter confidimus & ſperamus, præbeas auxilium, conſilium, & fauorem. Datum Auinione 10. Calendas Septembris anno ſecundo.

BVLLA VIII.

Innocentius, &c.

Dilecto filio nobili Viro Duci Venetiarum ſalutem.

Eidem ſimiliter prædictos commendat.

ATtendentes quantum expediret Christiano populo, maximè partium Orientis, ſi Rex Raſſiæ illuſtris, & ſubditi ſibi populi reaggregarētur vnitati Eccleſiæ, à qua ipſos pater ſchiſmatis, peccatis exigentibus, ſeparauit, conſulta deliberatione prouidimus Venerabiles Fratres noſtros Bartholomæum Traguriens. Ibidem.
qui

qui aliàs ſuper hoc negotio laborauit vtiliter, & Petrum Pacten. Epiſcopos ad partes illlas ſub ſpe diuini præſidij deſtinandos. In quo ſperantes deuotionem tuam fauorabilem inuenire, Nobilitatem tuam attentè rogamus, quatenus eiſdem Epiſcopis ad tam ſalutaris proſecutionem negotij, & ſpecialiter circa tranſitum maris, impendas, pro diuina, ac noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reuerentia, auxilia, & fauores. Datum Auinione 9. Calendas Septembris anno ſecundo.

BVLLA IX.

Innocentius, &c.

Chariſſimo in Chriſto filio Ludouico Regi Hungariæ illuſtri.

Suadet vt bellum Rex inferat ſchiſmaticis, & exercitus Chriſtiani Imperatorem inſtituit.

Ex lib. ſecretorũ an. 4. fol. 150.

QVanta te, fili chariſſime, gratiæ ſuæ vbertate præuenerit diſtributor ille gratia

gratiarum munificus, Dei filius Ieſus Chriſtus, qui dat omnibus ſine improperio affluẽter, quámque præcordia tua ſuæ benedictionis imbre copioſè perfuderit, luculenter patuit hactenus, & nunc manifeſtiùs innoteſcet. Ipſe namque tibi adhuc iuueniles annos agenti ſpiritum prouectioris infudit ætatis, ipſe adhuc tenello corpori tuo robuſtiorem ſpiritum inſpirauit. Ipſe tuum circa beneplacita ſua direxit animum, firmauit cor, roborauit & mentem, ita vt non mollia quælibet leuia, quibus, vt plurimùm, implicari ſolet iuuentus, illecebris multis obnoxia, complexus exſtiteris, ſed velut annis maturior, abhorrens delitias, & otia fugiens, ardua quæreres, appeteres ſtrenua, interciperes magna, & virtuoſa diligentiùs ſectareris. Nec ſatis fuit tibi famæ tuæ claræ naſcentis auſpicia intra regni tui ſinus latiſſimos contineri; imò vt nomen tuum longè latéque clareſceret, peregrinas perluſtrare prouincias, & adire nationes extraneas voluiſti; in quibus licèt more Principum ſtudueris ipſius famæ compendiis prouidere, principális

tamen

tamen ad hoc tua pia dirigebatur intentio, vt Conditoris, Redemptorísque tui beneplacitis, ætatis, & operum tuorum primitias deuotus offerres. Probasti hoc certè Lituuanos, & Ruthenos infideles frequenter expugnans: Hoc regni Rassiæ schismaticos, & hæreticos persequens demonstrasti. Quibus laudabilibus principiis tuis laudabile cupiens, Deo propitio, adiicere medium, illáque desiderans, ipso præstante, felici exitu terminari, per Venerabilem Fratrem nostrum Petrum Episcopum Pacten. & dilectum filium Stephanum Electum Zagabrien. Nuntium tuum, & literas regias nobis exhibitas per eundem Nuntium, quas & eum benignè placidéque recepimus, nobis nouiter intimasti, quòd tu molestè ferens iniurias, contumelias, & opprobria, quæ ipsi Redemptori tuo per eosdem schismaticos, & hæreticos dicti regni Rassiæ, ac terrarum, quæ Orosij se Regem Rassiæ nominantis, subsunt tyrannidi, & quæ vicinantur eisdem, iugiter inferuntur, illáque vltrici dextera tua cupiens vindicare, ac desiderans vt schismaticorum

rum & hæreticorum ipſorum alliſa perfidia, ac confutatis, & eradicatis erroribus eorundem, Chriſtiana fides vbique clariore luce reſplendeat, & nomen Domini Dei tui puris & deuotis Catholicorum vocibus collaudetur, eoſdem ſchiſmaticos & hæreticos ſub ſpe diuini auxilij & fauoris, expugnare conſtanti propoſito decreuiſti, humiliter ſupplicans, vt ad tam pij, támque fauorabilis executionem operis tibi ſpiritualis fauoris præſidio aſſiſtentes, aduerſus illos Crucem, in cuius ſigno per virtutem eius, qui pependit in illa, ipſius fidei hoſtes delere confidis, cum conſuetis indulgentiis, & remiſſionibus, prædicari mandaremus, téque huiuſmodi negotij Chriſtiani, & populi proficiſcentis ad promotionem illius, Capitaneum generalem conſtituere dignaremur. His itaque, Princeps inclyte, per quæ Catholicorum Principum, ex quibus ducis originem, prioris ætatis geſta magnifica in memoriam redeunt, & eis adiicitur multæ gloriæ titulus, lætanter auditis, & lætantiùs intellectis, magnificauit anima noſtra

Dominum, & noſter in Deo ſalutari noſtro ſpiritus exultauit, apud eum deuotas preces, & humiles effundentes, vt te in hoc feruore zeli, in hoc ardore ſpiritus, in hac ſinceritate fidei per tempora longiora conſeruans, greſſus tuos dirigat, actiones informet, proceſſibus faueat, viribus vires adiiciat, tibi de ſolio ſancto ſuo mittat benignus auxilium, & de ſede maieſtatis eius opportunis te indeſinenter fauoribus proſequatur, quatenus in brachio potentiæ tuæ ac virtutis virga infidelibus, quibúſque conuerſis, & ſchiſmaticis, & hæreticis, prauitatis, & errorum ſuorum abiuratis tenebris Sacroſancta Mater Eccleſia, toto terrarum orbe in Chriſti fundatoris, Rectoríſque ſui glutino adunata, vna ſit fides mentium, & pietas actionum: Votis igitur & petitionibus tuis in his de Fratrum noſtrorum cõſilio gratanter annuimus, & huiuſmodi verbum Crucis in eodem regno tuo, & nonnullis partibus aliis, in conficiendis ſuper hoc literis exprimendis, ſub certis modis, formis, & conditionibus conceſſimus proponendũ. Eia ergo pugil Chriſti, athleta

athleta, Domini, miles fidei Chriſtianæ, accingere gladio, tolle arcum & pharetram, ſiue arma in virtute illius, *qui manus docet ad prælium, & digitos informat ad bellum*, in virtute, inquam, eius, in conſpectu cuius non eſt differentia, *in multis liberare, vel in paucis*, & qui belli victoriam fortitudinémque largitur, fidem ipſam impugnantes impugna, aufer opprobria ipſi tuo exprobrantium Redemptori. Et quanquam teneamus indubiè, quod tu, qui in remotis infideles & ſchiſmaticos perſecutus es hactenus, & proponis perſequi, vt præfertur, eos in ipſo regni tui gremio pati non debeas, quoniam reprehenſibile eſſet tibi ſuſtinere in propriis partibus, quod in aliis execraris; vt tamen feruens in hoc propoſitum tuum noſtris exhortationibus fortiùs accendamus, Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attentè precantes, tibíque, tui honoris ac ſalutis intuitu paternis & ſanis conſiliis ſuadentes, quatenus prudenter attendens, quod ignis, cuius longè poſiti vitatur incendium, periculoſus in proximo

Pſal. 143. v. 1.

2. Reg. 14. v. 6.

eſt, & ſerpentis morſus, & venena propinqui timenda ſunt ampliùs, quàm remoti, ante omnia pelle de Boſnen. & aliis dicti regni tui partibus hæreticam prauitatem. Morbus enim infectiuus eſt hæreſis, & veluti ſerpens latenter inſerpens, facilè inficit, ſimplices maximè, niſi prudentum ſtudio, & peritia confutetur. Cæterùm, quia Dei negotia, licèt diuerſa ſint, ad vnum & eundem finem & exitum, mercedis videlicet æternæ præmium, diriguntur; Nos attendentes ad huiuſmodi negotia Dei feruentiſſimum zelum tuum, & reputantes diuinæ diſpenſationis munere procuratum, vt in Italiam in manu forti, hoc deſcendentes tempore, quo in ea damnationis filij Franciſcus de Ordelaſſis Foroliuen. ac Ioannes & Gullielmus de Manfredis Fauentini ciues, veluti hæretici ſententialiter condemnati, ac nonnulli alij aduerſus Romanam Eccleſiam Matrem tuam, abiecto timore Domini, & depoſito amore filiali, rebellionis calcaneum erexerunt, tibi præter onus, quod aggredi, vt præfertur, intendis, ad laudis & merce-

dis

dis tuæ cumulum onus aliud, generalis videlicet Capitaneatus officium, aduerſus Franciſcum, Ioannem, & Gullielmum eoſdem, ac alios rebelles ipſius Eccleſiæ, qui ſunt in omnibus terris ipſius Eccleſiæ, in Italia conſtituti, de dictorum fratrum conſilio, ſub quibuſdam modis & formis fiducialiter duximus imponendum. Ad quod præter honorem & ſalutem tuam huiuſmodi, illa etiam conſideratio nos induxit, vt omni de terris eiuſdem Eccleſiæ abiecta tyrannide, ac rebellione repulſa, in promotione aſſumpti operis maiora Chriſti fidelium ſentias, iuuante Domino, auxilia & fauores. Et quoniam ratione oneris Capitaneatus ipſius per nos tibi aduerſus Franciſcum, & Gullielmum ac rebelles eoſdẽ, vt præfertur, impoſiti magna ſumptuum onera habebis de neceſſitate ſubire, nos tibi, vt illa commodiùs perferas, cupientes de alicuius ſubuentionis auxilio prouidere, decimam Eccleſiaſticorum reddituum dicti regni tui, vſque ad triennium tibi duximus liberaliter concedendum. Quæ-

& partibus hæreticam prauitatem, animum regium potenter erexerit, & propositum regia virtute firmarit. Nos huiusmodi præfati Regis laudabile in hac parte propositum cupientes, Deo propitio, fructu operum adimpleri, & attendentes, quòd sicut habet multorum assertio, nonnulli solo nomine Christiani, eisdem hæreticis præstant auxilium, consilium & fauorem, mandamus quatenus vos, & quilibet vestrûm per vos, vel aliũ, seu alios in omnibus locis, de quibus videritis expedire, inhibeatis expressè omnibus & singulis, qui Christiana professione censentur, quòd nullus ex ipsis hæreticis, & schismaticis recipiendo ab eis stipendia, vel ministrando arma, seu quæuis alia subsidia, siue aliàs quomodolibet per terram, vel aquam præstent auxilium, consilium, adiutorium, vel fauorem, eos omnes, qui suæ salutis & honoris prodigi contra iura & inhibitionem huiusmodi venire tentauerint generaliter, aliis verò de quibus non legitimè constiterit specialiter, & nominatim expressos, declaretis incidisse in pœnas & sententias in tales, per Ciuiles

& Ca

& Canonicas ſanctiones inflictas; & nihilominus in eos auctoritate noſtra excommunicationis ſententiam proferatis. Datum apud Villam nouam Auinionen. Diœceſis decimo ſexto Calendas Auguſti, anno quarto,

BVLLA XI.

Innocentius, &c.

Dilecto Filio Nobili Viro Ioanni Gradonico Duci Venetiarum.

Ut abſtineat à fœdere ineundo cum Raſſenſibus.

AD audientiam noſtram peruenit, Ibid.fol. quòd tu & dilecti filij Commune 154. Venetiarum cum Dei & fidei Catholicæ inimicis, & hoſtibus, Rege aliiſque Raſſen. ſchiſmaticis & hæreticis manifeſtis confœderationem iniiſti & ligam, illámque iuramentorum interpoſitionibus & pœnarum adiectionibus roboraſti. Quod

giosi complures mendicantium Ordinum commissum sibi fore ab Apostolica Sede in eisdem partibus legationis officium minùs veraciter asserunt, eóque prætextu nonnulla temerè attentare præsumunt, in suarum & aliarum animarum periculum, & scandalum plurimorum. Cupientes igitur huiusmodi eiusdem Orthodoxæ fidei, & animarum periculis, prout ex debito præmissi tenemur officij, opportunis & efficacibus studiis obuiare, ac de vestræ circunspectionis industria gerentes in iis, & aliis, fiduciam in Domino specialem, fraternitati vestræ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel alter vestrûm ad loca dictarum partium, de quibus vobis magis expedire videbitur, vos personaliter conferentes, & contra errantes, præsumptores, attentatores huiusmodi pro Ecclesia sancta Dei vos defensionis murum viriliter opponentes, præmissa schismata dissipare, sectas dissoluere, errores euellere, excessus corrigere, deformata reformare, & errantes ipsos ad veram ipsius Catholicæ fidei vnitatem, &
Eccle

Eccleſiæ præfatæ ritus & mores reducere, quantum vobis inſpirabit Altiſſimus, auctoritate noſtra fideliter ſtudeatis, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Contradictores quoſlibet & rebelles cuiuſcunque præeminentiæ, ſtatus, Ordinis, vel conditionis exiſtant, auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Quæcunque verò in præmiſſis duxeritis facienda, & quæ vobis aliàs circa hæc videantur agenda, nobis fideliter & ſolerter intimare curetis, vt ſuper ipſis prouidere ſalubriter, auctore Domino, valeamus. Datum Auinione VI. Calendas Ianuarij anno ſecundo.

BVLLA

BVLLA VII.

Innocentius, &c.

Chariſſimo in Chriſto filio Ludouico Regi Hungariæ illuſtri ſalutem.

Commendat ei prædictos Nuncios.

Ibid. fol. 238.

CVm Venerabiles Fratres noſtros Bartholomæum Tragurien. & Petrum Pacten. Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Nuntios pro vniendis & aggregandis vnitati Eccleſiæ matri ſuæ, auctore Domino, Rege Raſſiæ illuſtri, & populis ſubditis ipſi Regi, ad partes illas præſentialiter deſtinemus, Serenitatem tuam attentè requirimus, & rogamus, quatenus eiſdem Nuntiis, quibus ſuper præmiſſis aliqua tibi exponēda oretenùs duximus iniungenda, in iis, quæ tibi pro parte noſtra retulerint, adhibens plenam fidem, eis in promotione & conſummatione tam ſalutaris & Deo grati negotij, pro diuinæ Maie

Maieſtatis reuerentia, tuæ conſideratione ſalutis, & noſtræ interuentionis obtentu, tuum, de quo ſpecialiter confidimus & ſperamus, præbeas auxilium, conſilium, & fauorem. Datum Auinione 10. Calendas Septembris anno ſecundo.

BVLLA VIII.

Innocentius, &c.

Dilecto filio nobili Viro Duci Venetiarum ſalutem.

Eidem ſimiliter prædictos commendat.

ATtendentes quantum expediret Christiano populo, maximè partium Orientis, ſi Rex Raſſiæ illuſtris, & ſubditi ſibi populi reaggregarētur vnitati Eccleſiæ, à qua ipſos pater ſchiſmatis, peccatis exigentibus, ſeparauit, conſulta deliberatione prouidimus Venerabiles Fratres noſtros Bartholomæum Tragurien. Ibidem.

qui

qui aliàs ſuper hoc negotio laborauit vtiliter, & Petrum Pacten. Epiſcopos ad partes illlas ſub ſpe diuini præſidij deſtinandos. In quo ſperantes deuotionem tuam fauorabilem inuenire, Nobilitatem tuam attentè rogamus, quatenus eiſdem Epiſcopis ad tam ſalutaris proſecutionem negotij, & ſpecialiter circa tranſitum maris, impendas, pro diuina, ac noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reuerentia, auxilia, & fauores. Datum Auinione 9. Calendas Septembris anno ſecundo.

BVLLA IX.

Innocentius, &c.

Chariſſimo in Chriſto filio Ludouico Regi Hungariæ illuſtri.

Suadet vt bellum Rex inferat ſchiſmaticis, & exercitus Chriſtiani Imperatorem inſtituit.

Ex lib. ſecretorũ an. 4. fol. 150.

QVanta te, fili chariſſime, gratiæ ſuæ vbertate præuenerit diſtributor ille gratia

gratiarum munificus, Dei filius Ieſus Chriſtus, qui dat omnibus ſine improperio affluēter, quámque præcordia tua ſuæ benedictionis imbre copioſè perfuderit, luculenter patuit hactenus, & nunc manifeſtiùs innoteſcet. Ipſe namque tibi adhuc iuueniles annos agenti ſpiritum prouectioris infudit ætatis, ipſe adhuc tenello corpori tuo robuſtiorem ſpiritum inſpirauit. Ipſe tuum circa beneplacita ſua direxit animum, firmauit cor, roborauit & mentem, ita vt non mollia quælibet leuia, quibus, vt plurimùm, implicari ſolet iuuentus, illecebris multis obnoxia, complexus exſtiteris, ſed velut annis maturior, abhorrens delitias, & otia fugiens, ardua quæreres, appeteres ſtrenua, interciperes magna, & virtuoſa diligentiùs ſectareris. Nec ſatis fuit tibi famæ tuæ claræ naſcentis auſpicia intra regni tui ſinus latiſſimos contineri; imò vt nomen tuum longè latéque clareſceret, peregrinas perluſtrare prouincias, & adire nationes extraneas voluiſti; in quibus licèt more Principum ſtudueris ipſius famæ compēdiis prouidere, principális

tamen

tamen ad hoc tua pia dirigebatur intentio, vt Conditoris, Redemptorísque tui beneplacitis, ætatis, & operum tuorum primitias deuotus offerres. Probasti hoc certè Lituuanos, & Ruthenos infideles frequenter expugnans: Hoc regni Rassiæ schismaticos, & hæreticos persequens demonstrasti. Quibus laudabilibus principiis tuis laudabile cupiens, Deo propitio, adiicere medium, illáque desiderans, ipso præstante, felici exitu terminari, per Venerabilem Fratrem nostrum Petrum Episcopum Pacten. & dilectum filium Stephanum Electum Zagabrien. Nuntium tuum, & literas regias nobis exhibitas per eundem Nuntium, quas & eum benignè placidéque recepimus, nobis nouiter intimasti, quòd tu molestè ferens iniurias, contumelias, & opprobria, quæ ipsi Redemptori tuo per eosdem schismaticos, & hæreticos dicti regni Rassiæ, ac terrarum, quæ Orosij se Regem Rassiæ nominantis, subsunt tyrannidi, & quæ vicinantur eisdem, iugiter inferuntur, illáque vltrici dextera tua cupiens vindicare, ac desiderans vt schismaticorum

rum & hæreticorum ipſorum alliſa perfidia,ac confutatis,& eradicatis erroribus eorundem, Chriſtiana fides vbique clariore luce reſplendeat, & nomen Domini Dei tui puris & deuotis Catholicorum vocibus collaudetur, eoſdem ſchiſmaticos & hæreticos ſub ſpe diuini auxilij & fauoris, expugnare conſtanti propoſito decreuiſti, humiliter ſupplicans, vt ad tam pij, támque fauorabilis executionem operis tibi ſpiritualis fauoris præſidio aſſiſtentes, aduerſus illos Crucem, in cuius ſigno per virtutem eius, qui pependit in illa, ipſius fidei hoſtes delere confidis, cum conſuetis indulgentiis, & remiſſionibus, prædicari mandaremus, téque huiuſmodi negotij Chriſtiani, & populi proficiſcentis ad promotionem illius, Capitaneum generalem conſtituere dignaremur. His itaque, Princeps inclyte, per quæ Catholicorum Principum, ex quibus ducis originem, prioris ætatis geſta magnifica in memoriam redeunt, & eis adiicitur multæ gloriæ titulus, lætanter auditis, & lætantiùs intellectis, magnificauit anima noſtra

H Domi

Dominum, & noster in Deo salutari nostro spiritus exultauit, apud eum deuotas preces, & humiles effundentes, vt te in hoc feruore zeli, in hoc ardore spiritus, in hac sinceritate fidei per tempora longiora conseruans, gressus tuos dirigat, actiones informet, processibus faueat, viribus vires adiiciat, tibi de solio sancto suo mittat benignus auxilium, & de sede maiestatis eius opportunis te indesinenter fauoribus prosequatur, quatenus in brachio potentiæ tuæ ac virtutis virga infidelibus, quibúsque conuersis, & schismaticis, & hæreticis, prauitatis, & errorum suorum abiuratis tenebris Sacrosancta Mater Ecclesia, toto terrarum orbe in Christi fundatoris, Rectorísque sui glutino adunata, vna sit fides mentium, & pietas actionum: Votis igitur & petitionibus tuis in his de Fratrum nostrorum cõsilio gratanter annuimus, & huiusmodi verbum Crucis in eodem regno tuo, & nonnullis partibus aliis, in conficiendis super hoc literis exprimendis, sub certis modis, formis, & conditionibus concessimus proponendũ. Eia ergo pugil Christi, athleta

athleta, Domini, miles fidei Chriſtianæ, accingere gladio, tolle arcum & pharetram, ſiue arma in virtute illius, *qui manus docet ad prælium, & digitos informat ad bellum*, in virtute, inquam, eius, in conſpectu cuius non eſt differentia, *in multis liberare, vel in paucis*, & qui belli victoriam fortitudinémque largitur, fidem ipſam impugnantes impugna, aufer opprobria ipſi tuo exprobrantium Redemptori. Et quanquam teneamus indubiè, quod tu, qui in remotis infideles & ſchiſmaticos perſecutus es hactenus, & proponis perſequi, vt præfertur, eos in ipſo regni tui gremio pati non debeas, quoniam reprehenſibile eſſet tibi ſuſtinere in propriis partibus, quod in aliis execraris; vt tamen feruens in hoc propoſitum tuum noſtris exhortationibus fortiùs accendamus, Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attentè precantes, tibíque, tui honoris ac ſalutis intuitu paternis & ſanis conſiliis ſuadentes, quatenus prudenter attendens, quod ignis, cuius longè poſiti vitatur incendium, periculoſus in proximo

Pſal. 143. v. 1.

2. Reg. 14. v. 6.

eſt, & ſerpentis morſus, & venena propinqui timenda ſunt ampliùs, quàm remoti, ante omnia pelle de Boſnen. & aliis dicti regni tui partibus hæreticam prauitatem. Morbus enim infectiuus eſt hæreſis, & veluti ſerpens latenter inſerpens, facilè inficit, ſimplices maximè, niſi prudentum ſtudio, & peritia confutetur. Cæterùm, quia Dei negotia, licèt diuerſa ſint, ad vnum & eundem finem & exitum, mercedis videlicet æternæ præmium, diriguntur; Nos attendentes ad huiuſmodi negotia Dei feruentiſſimum zelum tuum, & reputantes diuinæ diſpenſationis munere procuratum, vt in Italiam in manu forti, hoc deſcendentes tempore, quo in ea damnationis filij Franciſcus de Ordelaſſis Foroliuen. ac Ioannes & Gullielmus de Manfredis Fauentini ciues, veluti hæretici ſententialiter condemnati, ac nonnulli alij aduerſus Romanam Eccleſiam Matrem tuam, abiecto timore Domini, & depoſito amore filiali, rebellionis calcaneum erexerunt, tibi præter onus, quod aggredi, vt præfertur, intendis, ad laudis & merce-
dis

dis tuæ cumulum onus aliud, generalis videlicet Capitaneatus officium, aduerſus Franciſcum, Ioannem, & Gullielmum eoſdem, ac alios rebelles ipſius Eccleſiæ, qui ſunt in omnibus terris ipſius Eccleſiæ, in Italia conſtituti, de dictorum fratrum conſilio, ſub quibuſdam modis & formis fiducialiter duximus imponendum. Ad quod præter honorem & ſalutem tuam huiuſmodi, illa etiam conſideratio nos induxit, vt omni de terris eiuſdem Eccleſiæ abiecta tyrannide, ac rebellione repulſa, in promotione aſſumpti operis maiora Chriſti fidelium ſentias, iuuante Domino, auxilia & fauores. Et quoniam ratione oneris Capitaneatus ipſius per nos tibi aduerſus Franciſcum, & Gullielmum ac rebelles eoſdẽ, vt præfertur, impoſiti magna ſumptuum onera habebis de neceſſitate ſubire, nos tibi, vt illa commodiùs perferas, cupientes de alicuius ſubuentionis auxilio prouidere, decimam Eccleſiaſticorum reddituum dicti regni tui, vſque ad triennium tibi duximus liberaliter concedendum. Quæ-

ſumus itaque, ac huiuſmodi precibus noſtris inſtanter adiicimus, vt huiuſmodi Capitaneatus officium aduerſus Franciſcum, Ioannem & Gullielmum, ac alios rebelles eoſdem acceptes, placidè, ac fauorabiliter proſequaris, & rebelles ipſos, cùm, & de quibus per nos, ſeu Venerabilem fratrem noſtrum Ægidium Epiſcopum Sabinen. Apoſtolicæ Sedis Legatum, fueris requiſitus, potenter expugnans, confidimus enim in potentia Domini, & de Beati Petri Apoſtolorum Principis, cuius cauſam agimus, meritis & interceſſione ſperamus, quòd citò rebellium ipſorum contumacia ſub virtutis tuæ malleo contereſur, & elidetur omnino, & quòd eis ad gratiam & ſinum Eccleſiæ ipſius reuocatis, idem Princeps Apoſtolici Ordinis, tui erit comes itineris, ac pro illius directione felici & ſalute tua efficax apud Dominum, & aſſiduus interceſſor, ſuper quibus præfati Epiſcopus & Electus tibi pro parte noſtra loquentur pleniùs, quibus adhibere poteris plenam fidem. Datum apud Villam nouam Auinionen. Diœceſis tertio Idus

Idus Auguſti, Pontificat. noſtri anno quarto.

BVLLA X.

Innocentius, &c.

Venerabilibus Fratribus Aquileien. & Graden. Patriarchis, & Archiepiſcopo Salſeburgen.

Vt prohibeant ne quis ſchiſmaticis aut hæreticis fauorem aut auxilium præſtet contra Regem.

CVm chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludouicus Rex Hungariæ Illuſtris, tactus dolore cordis intrinſecus ſuper iniuriis, & opprobriis, quæ per ſchiſmaticos & hæreticos regni Raſſiæ, ac eidem regno partium vicinarum Chriſtianæ fidei, quin imò Chriſto Domino, qui eiuſdem fidei caput & auctor eſt, inferũtur, ad expugnandum hæreticos & ſchiſmaticos ipſos, & delendam de ipſis regno

Ibid. fol. 152.

& partibus hæreticam prauitatem, animum regium potenter erexerit, & propositum regia virtute firmarit. Nos huiusmodi præfati Regis laudabile in hac parte propositum cupientes, Deo propitio, fructu operum adimpleri, & attendentes, quòd sicut habet multorum assertio, nonnulli solo nomine Christiani, eisdem hæreticis præstant auxilium, consilium & fauorem, mandamus quatenus vos, & quilibet vestrûm per vos, vel aliũ, seu alios in omnibus locis, de quibus videritis expedire, inhibeatis expresse omnibus & singulis, qui Christiana professione censentur, quòd nullus ex ipsis hæreticis, & schismaticis recipiendo ab eis stipendia, vel ministrando arma, seu quæuis alia subsidia, siue aliàs quomodolibet per terram, vel aquam præstent auxilium, consilium, adiutorium, vel fauorem, eos omnes, qui suæ salutis & honoris prodigi contra iura & inhibitionem huiusmodi venire tentauerint generaliter, aliis verò de quibus non legitimè constiterit specialiter, & nominatim expressos, declaretis incidisse in pœnas & sententias in tales, per Ciuiles

& Canonicas ſanctiones inflictas; & nihilominus in eos auctoritate noſtra excommunicationis ſententiam proferatis. Datum apud Villam nouam Auinionen. Diœceſis decimo ſexto Calendas Auguſti, anno quarto.

BVLLA XI.

Innocentius, &c.

Dilecto Filio Nobili Viro Ioanni Gradonico Duci Venetiarum.

Vt abſtineat à fœdere ineundo cum Raſſenſibus.

AD audientiam noſtram peruenit, quòd tu & dilecti filij Commune Venetiarum cum Dei & fidei Catholicæ inimicis, & hoſtibus, Rege aliiſque Raſſen. ſchiſmaticis & hæreticis manifeſtis confœderationem iniiſti & ligam, illámque iuramentorum interpoſitionibus & pœnarum adiectionibus roboraſti. Quod

Ibid. fol. 154.

licèt attenta sinceritate deuotionis & fidei, quam tu & dicti Commune semper ad Deum, qui eiusdem fidei actor est & caput, habuistis, credere facilè non possumus, tamen tuis & dictorum Communis super hoc famæ & saluti consulere paterna sollicitudine cupientes, & attendentes, quòd huiusmodi liga inter charissimum in Christo Filium nostrum Ludouicum Regem Hungariæ Illustrem, qui Rassen. eosdem, ad extirpandum de partibus illis prauitatem hæreticam, fauente Domino, expugnare proponit, & te inuicem diffidentes, ad quorum pacem procurandam enitimur, seminarium maioris diffidij esse posset, Nobilitatem tuam attentè requirimus & hortamur, illam attentè rogantes, tibique suadentes paternis consiliis, & tuæ salutis intuitu expressiùs iniungentes, quatenus ab omni auxilio, consilio, fauore, ac adiutorio hæreticis & schismaticis ipsis occasione huiusmodi confœderationis, seu ligæ, aut alterius cuiuslibet pactionis quocunque titulo, seu nomine censeatur, prestando prorsus abstineas, & subditos tuos omnino compe

compeſcas. Nos enim ligam, confœderationem, & quaſcúnque pactiones aliàs inter te, ſeu prædeceſſores tuos Duces Venetiarum & dictos Commune initas, factas, & habitas caſſamus, & irritamus, & nullius eſſe decernimus roboris, vel momenti, pœnas & iuramenta huiuſmodi relaxantes. Cæterùm huiuſmodi precibus noſtris adiicimus, vt ea quæ Venerabilis Frater noſter Petrus Epiſcopus Pacten. Apoſtolicæ Sedis Nuntius lator præſentium tibi ſuper hoc pro parte noſtra retulerit, credas indubiè, illáque ad effectum votiuæ conſummationis adducas. Datum apud Villam nouam Auinionen. Diœceſis decimo ſexto Calendas Augusti, anno quarto.

BVLLA XII.

Innocentius &c.

Chariſſimo in Chriſto Filio Ludouico Regi Hungariæ Illuſtri.

Hortatur vt Rex pacem ineat cum Duce Venetiarum.

Ibid. fol. 153.

DIſcordia, quam inter te, & dilectum filium Nobilem Virum Ducem Venetiarum, pacis æmulus, peccatis exigentibus, ſuſcitauit, eò nobis eſt, nec indignè, moleſtior, quò Dei negotiis, ad quorum promotionẽ, ſicut Princeps Catholicus feruenter aſpiras, contraria potiùs redditur & nociua. Et ideò illam viis & modis omnibus ſuccidere cupientes, dilecto Filio Stephano Electo Zagrabien. Nuntio tuo apud Sedem Apoſtolicam conſtituto, locuti fuimus ſuper illa, ipſéque nobis placidè plurimùm, gratéque que reſpondit, quòd tu ſicut pacis amicus, & confiſus de iuſtitia cauſæ tuæ paratus eras omnem diſcordiæ cauſam, quã cum Duce habes eodem in manibus noſtris

ſtris liberè ponere, & inſuper gentes bellicas, quas aduerſus eum congregaſti, effectualiter remouere. Super quo Serenitatem tuam meritis gratiarum actionibus proſequentes, & ex obligatione vberi vberiorem conſequi indubiè ſperantes effectum, memorato Duci per alias noſtras literas ſcribimus ſuper hoc, ſicut vidimus negotio conuenire. Quapropter Serenitatem eandem inſtanter, & affectuosè precamur, fiducialiter expetentes, quatenus liberalem, & gratam oblationem huiuſmodi, ſicut de tua filiatione plenè confidimus, velis affectu grato & placido liberaliter adimplere. Speramus enim, quòd Omnipotēs Dominus pacis auctor, periculis,quæ ex diſcordia ipſa imminent populo Chriſtiano, interuentu pacis amabilis finem imponet optatum. Super quo vt affectionis noſtræ plenitudinem percipias,clariùs Venerabili Fratri noſtro Petro Epiſcopo Pacten. & eidem Electo impoſuimus aliqua tuo culmini pro parte noſtra per eos ore tenus exponenda.Et ideò precibus noſtris adiicimus, vt relatibus Epiſcopi & Electi prædictorum in-
præmiſ

præmissis adhibeas plenam fidem. Datum apud Villam nouam Auinionen. Diœcesis tertio Idus Augusti, anno quarto.

BVLLA XIII.

Innocentius, &c.

Dilecto Filio Nobili Viro Ioanni Gradonico Duci Venetiarum.

Vt pacem ineat cum Rege Hungariæ.

Ibidem. SIcut per literas nostras, & Venerabilem Fratrem nostrum Bon-Ioannem Episcopum Firmanum, Apostolicæ Sedis Nuntium, significauimus tibi nuper, discordia, quam inter charissimum in Christo Filium nostrum Ludouicum Hungariæ Regem Illustrem, & te, pacis æmulus suscitauit, molesta nobis est admodùm, & eo tædiosior redditur, quò Dei negotiis, præsertim partium Orientis ampliùs est nociua. Ad succidendum itaque illam, vias & modos sollicitè perquirentes, à quibus

quibusdam Nuntiis dicti Regis apud Sedem Apostolicam constitutis, nuper audiuimus, quòd idem Rex paratus est in manibus nostris ponere liberè omnem, quæ inter eum & te vertitur, quæstionem, & omnem, quem super terras tuas tenet exercitum remouere. Quapropter Nobilitatem tuam attentè requirimus, & hortamur, illam attentiùs deprecantes, ac tibi tuæ salutis intuitu expressiùs iniungentes, quatenus ipsius Regis in hac parte considerans voluntatem, viam pacis & cōcordiæ non refugias, sed acceptes: nosti enim quòd guerrarum prosecutio, præter sumptuum onera, tristes vt plurimùm exitus parere consueuit, cùm nunc illum ferrum perimat, nunc gladius hunc absumat, & nunc subducat alius illum casus. Super quo, quia, sicut discretio tua nouit, in talibus est periculosa dilatio, intentionem tuam nobis cum celeritate rescribas, crediturus iis, quæ Venerabilis Frater noster Petrus Episcopus Pacten. Apostolicæ Sedis Nuntius, lator præsentium, tibi pro parte nostra retulerit in præmissis. Datum apud Villam nouam Auinionen.

nionen. Diœceſ. quarto Idus Auguſti, anno quarto.

BVLLA XIV.

Innocentius, &c.

Magnifico Principi Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri.

Inuitat ad vnionem cum Eccleſia Latina.

Ibid. fol. 140.

VEnerabilis Frater noſter Paulus Archiepiſcopus Smyrnen. & Nobilis Vir Nicolaus Sigeros, Megateriarchi, & Apocriſarij Magnitudinis tuæ ad Sedem Apoſtolicam venientes, quaſdam clauſas, per quas eorum adhiberi fidem relatibus petiiſti, & quaſdam alias patentes literas tuas aurea bulla tua, & Imperialis manus ſubſcriptione munitas, nobis tuo nomine obtulerunt, inter cætera continentes, quod tu, vt literarum ipſarum verbis

vtamur,

vtamur, iurauerас tactis per te Sacroſanctis ſcripturis ad ſancta Dei Euangelia, & Sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnum verũ Deum, & tres perſonas, & per Ieſum Chriſtum Deum & Saluatorem noſtrum, & per Virginem Dei Genitricem Mariam, ac per ſanctam & viuificantem crucem Chriſti, ac per Apoſtolos, alióſque Sanctos, ac eidem inſuper Archiepiſcopo, nomine ac vice noſtris recipienti promiſeras, quòd abſque dolo, fraude, ac defectu, toto poſſe, ac omnibus viribus tuis, & cuncto conatu eſſe fidelis, obediens, reuerens, & deuotus nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontif. & quòd reciperes Legatos, & Nũcios noſtros, & eorum cum omni reuerentia & deuotione, ac faceres toto poſſe, totóque conatu tuo, quo omnes populi ſub tuo Imperio conſiſtentes, & tuæ iuriſdictioni ſubiecti, ſiue eſſent laici, ſiue Clerici, cuiuſcunque conditionis, & ſtatus, aut dignitatis exiſterent, eſſent fideles, obedientes, reuerentes, & deuoti nobis & ſucceſſoribus noſtris antefatis. Hæc, Princeps inclite,

I tuæ

tuæ conuersionis initia, hæc deuotionis primordia, hæc firma fidei fundamenta, huiusmodi literæ tuæ, vt præmittitur, continebant. Hæc iidem Apocrysarij viuæ vocis ministerio, clariùs & seriosiùs reserarunt, humiliter supplicantes, vt tibi, velut de regione dissimilitudinis venienti, effunderemus benedictionis Apostolicæ gratiam, panderemus paternæ dulcedinis gremium, & aduersus insultus & impugnationes hostiles Turcarum infidelium, ac rebellium dictorum audaciam auxilij dexteram salutaris extendere dignaremur. In quorum lectione melliflua, & placito auditu verborum, tanto nos & Fratres nostri S. R. E. Cardinales, aliíque Prælati exultauimus gaudio, tanta fuimus respersi lætitia, tantáque iucunditate perfusi, quanta vix intellectus capere sufficit, vix humana potest lingua narrare; exultauimus siquidem in tuo diu desiderato, & expectato reditu ad ipsius Ecclesiæ vnitatem, exultauimus in conuersione numerosæ multitudinis, quam præstante Deo, & cooperante te absque dubitatione speramus. Exultauimus,

mus, quòd malignus hoſtis ſuperatis fraudibus eius, eluſis artibus, & vinculis diſſolutis ingemiſcit, & plangit plebis, quæ ſub ipſius antea tyrannide fuerat, libertatem, & animarum millia, quæ gehennæ flammis crucianda immaniter expectabat, ſentit, & videt paradiſi gaudiis inferenda. Sed licèt Nobis & vniuerſis, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, vna ſit lætandi communis ratio, tibi tamen principalis eſt cauſa gaudendi, tibi exultationis materia ſingularis, tibi iubilationis occaſio potior, tibi gloriæ principatus. Tu enim principij Princeps, tu miniſter huius miniſterij ſalutaris, tu huiuſmodi opifex operis, tu promotor, tu populorum Dux, & director errantium, tu auriga, tu currus, tu illuminatus ab eo, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, lucernam in te fidei & veritatis accenſam ſic ſuper candelabrum altiùs ponere ſatagis, vt non ſolùm tibi, ſed habitantibus in regione vmbræ mortis luceat ad ſalutem. Tu terreni regni gubernacula ſic ſtudes ſecundùm beneplacita illius, à quo tibi conceſſa ſunt,

moderare, vt nationes, quæ imperio tuo ſubſunt, temporaliter iuſtè regens, & ſpiritualiter ea dirigens eorum deliramenta, quibus hactenus peccatis exigentibus, oculi eorum, ne lumen veritatis agnoſcerent, tenebantur, pio laboras abiicere ſtudio ab eiſdem. Hæc ſunt, quæ regnantium ſceptra clarificant, hæc principantium culmina erigunt. Hæc imperia roborant, hæc regna confirmant. Hæc certè Catholicorum Principum fides exigit, hæc requirit, fides enim eſt, qua in Principe pulchrius nil refulget; fides eſt, quæ iuſtificat impios, quæ de impiis efficit ſanctos, fides eſt, extra quā nulli eſt gratia, nulli ſalus, quę cùm vna & indiuiſibilis ſit, quiſquis ab ea diuiſus eſt, abſciſſus eſt à ſalute. Age itaque & conſiderans quòd ſi bonum opus in intentione fuerit, erit in perfectione, quòd laudabile proſequaris, & ad finem vſque perducas optatum. Conſidera quòd ſi *gaudium eſt Dei*
Lucæ 15. v. 10. *Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, quantis curia illa cœleſtis perſtrepet gaudiis, quantis beata illa ſupernorum ciuium agmina laudum præconiis
exul

exultabunt in pœnitentia & conuerſione tam innumerabilium populorum. Perſta, ſatage, & labora vt ille, cuius perfecta ſunt opera, perficiat benignus per te, quod per te dedit pius & miſericors inchoare; vnaquæque enim res denominatur ab exitu; & ſicut ciuilis ſapientia clamitat, nihil actum videtur exiſtere cùm ſupereſt aliquid ad agendum, ac iuxta Euangelicam veritatem, *non qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit, ſaluus erit.* Matt. 10. v. 22. Vt ergo exitus acta probet, & nihil ſupereſſe penitus videatur, opere feliciter conſummato, ac vſque ad finem conſtantiùs perſeuerans, ſalutis æternæ mercedem percipere merearis; *inſta*, iuxta doctrinam Apoſtoli, non ſolùm *opportunè*, ſi ſufficit, ſed etiam ſi expedit *importunè*. 2. Timot. 4. v. 2. Tunc enim læta tibi, & feſtiua celebritate præfata occurret Eccleſia, in adiutorium tuum intendet ſollicita ſupplicationibus apud Deum, tunc tibi ſpiritualibus auxiliis aderit, tunc Principum Chriſtianorum præſidia in tuum ſubſidium implorabit, vt eorundem infidelium perſecutione ſublata, ac rebellium tuorum

humiliata ceruice, tibi & eisdem populis tuis hîc pacis & quietis arrideat plenitudo, & in futuro cum Sanctis & electis Dei gloria præstetur æterna. Cæterùm vt nostra tibi super his affectio certiùs & pleniùs pateat, & quod scriptura nequit compendiosa comprehendere, suppleat homo viuus. Venerabiles Fratres nostros Petrum Pacten. & Gulielmum Sisopoliten. Episcopos, Apostolicæ Sedis Nuntios, latores præsentium, viros vtique pauperes spiritu, sed insignes virtute, & in lege Domini pleniùs eruditos, ad te ac partes ipsas prouidimus destinandos: Et ideò Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attentè rogantes, tibique tuæ salutis intuitu iniungentes, quatenus eosdem Nuntios pro nostra, & dictæ Sedis reuerentia, benignè recipias, & eorum, & cuiuslibet eorum salutaribus monitis, sicut speramus, & credimus, acquiescas. Datum apud Villam nouam Auinionen. Diœcesis duodecimo Calendas Augusti anno quarto.

BVLLA XV.

Innocentius, &c.

Patriarchæ Græcorum.

Idem perſuadet.

AGimus Omnipotenti Deo grates, & gratias, quòd ipſe magnifico Principi Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum Illuſtri pietatis ſuæ dono ſalutis ſpiritum inſpirauit, & ſic mentis ſuæ tenebras ſuæ viſitationis gratia illuſtrauit, quòd Imperator idem ſchiſmate ac erroribus, quibus antea tenebatur implicitus, abiuratis, ad ſanctæ Romanæ, Catholicæ, atque Apoſtolicæ, & vniuerſalis Eccleſiæ gremium, ac ad vnam, & indiuiſibilem fidem eiuſdem Eccleſiæ, extra quam teſte Apoſtolo, nulli eſt gratia, nulli ſalus, Hebr. 11. v.6. vſus conſilio meliore, conuerſus, Eccleſiam ipſam ſuam & vniuerſorum Chriſti fidelium dominam, & per regenerationis lauacrum matrem, firmiter, & ſimpliciter recognouit. In quo quanto exultauimus

gaudio, quanta fuerimus lætitia, & iucunditate perfusi, difficile posset humana lingua narrare. Sed illud nobis ad lætitiæ cumulum potioris accreuit, quòd te, cuius in omnibus idem Imperator, sicut fertur, consilio regitur, principalem salutaris huiusmodi credimus operis promotorem, quanquam scribentibus nobis super hoc multis Latinis & Græcis ad gaudium, nulla nobis litera tua fuerit præsentata, quod vel incuria nuntiorum, aut ex aliquo casu fortuito, non ex proposito credimus contigisse. Vt ergo fidei & credulitati nostræ testis accedat exhibitio operis, & probatio veritatis, discretionem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attentè rogantes, tibíque tuæ salutis intuitu expressiùs iniungentes, quatenus prudenter considerans, quantis illa supernorum ciuium agmina gaudiis exultabunt, in tua, & ipsius Imperatoris, ac numerosæ multitudinis Græcorum conuersione, quam, Deo propitio, consequi credimus & speramus, quando *Dei Angelis super vno peccatore agente pænitentiam, maius, quàm supra* (Lucæ 15. v. 10.)

nona

nonaginta nouem iuſtis qui non egent pœnitentia, eſſe gaudium. Euangelica veritas atteſtatur, huiuſmodi ſalutare opus, præſtante Deo feliciter inchoatum vſque ad ipſius felicem exitum, quod pius & miſericors dignetur ipſe concedere, operoſis & efficacibus aſſiduè ſtudiis proſequaris. Noſti enim, quòd non qui incepit, ſed qui perſeuerauerit, ſaluus erit; nec ignoras, quòd ſi intentione fuerit bonum opus, erit etiam in perfectione, cum adiutorio Dei, cuius opera ſunt perfecta. Cuiuſmodi perfectionem operis inter omnia deſiderabilia mundi huiuſmodi vehementiſſimè cupientes, Venerabiles Fratres noſtros Petrum Pacten. & Gulielmum Siſopolitan. Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Nuntios, latores præſentium, viros quidem pauperes ſpiritu, & virtutibus multis inſignes, ad te, ac Imperatorem ipſum, ac partes ipſas, ſub ſpe diuini auxilij & fauoris prouidimus deſtinandos, precibus & adhortationibus noſtris huiuſmodi adiungentes, vt eos benignè recipias, informes conſiliis, & auxiliis foueas opportunis. Ita quòd ex meſſe, quæ

multa est, præstante Domino messis, & cooperante etiam, manipulos plurimos ad aream deferre Domini feliciter valeamus. Datum apud Villam nouam Auinionen. Diœces. decimo quinto Calendas Septembris, anno quarto.

BVLLA XVI.

Innocentius &c.

Dilecto filio Nobili viro Francisco Gatteluxio Domino Insulæ Metellini.

Intimat se Nuncios mittere ad Imperatorem.

Ibid. fol. 164. PEr literas tuas, quas paterna benignitate recepimus, intimasti nobis, quòd inspirante Deo, & cooperante te, Magnificus Princeps Ioannes Palæologus Imperator Græcorum Illustris, vnà cum subiecto ei populo abiurare schisma, quo fuerunt ab vnitate sanctæ Romanæ

manæ ac vniuerſalis Eccleſiæ alieni, & ad huiuſmodi vnitatem redire Eccleſiæ proponebant. Super quo ingenti lætitia & exultatione perfuſi, ad perficiendum bonum huiuſmodi, quod diuina dedit inſpiratio, per tuum, & aliorum Catholicorum miniſterium inchoari, Venerabiles Fratres noſtros Petrum Pacten. & Gulielmum Siſopolitan. Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Nuntios, latores præſentium, viros quidem pauperes ſpiritu, ſed locupletes multis virtutibus, prouidimus deſtinandos; Et ideò nobilitatem tuam attentè rogamus, quatenus eoſdem Nuntios pro reuerentia Dei, cuius gerunt negotium, & noſtræ interceſſionis obtentu, ac tuæ inſuper ſalutis ſuſcipias propenſiùs commendatos, ipſóſque informes conſiliis, & auxiliis, atque fauoribus proſequaris. Ita quòd tibi & aliis ædifices ad meritum & ſalutem. Datum vt ſuprà.

BVLLA

BVLLA XVII.

Innocentius, &c.

Venerabili Fratri Petro Episcopo Coronen.

Transfertur ab Ecclesia Pactensi ad Coronensem.

CReditæ nobis dispensationis vrgemur officio, vt qui dispositione diuina, cunctis Ecclesiis potestatis plenitudine præsumus, singularum vtilitatibus cùm possumus, sic prospiciamus solliciti, sic vigilanter, & salubriter intendamus, vt per nostræ attentionis instantiam, nunc per simplicis prouisionis officium, quandoque verò per ministerium translationis accommodæ, prout personarum, locorum, & temporum qualitas exigit, & ipsarum Ecclesiarum vtilitas persuadet, Ecclesiis singulis pastor accedat idoneus, & rector prouidus deputetur, vt Ecclesiæ ipsæ superni fauoris auxilio suffragan

fragante votiuæ prosperitatis successibus gratulentur. Ecclesia siquidem Coronen. ex eo apud Sedem Apostolicam vacante, quod nos hodie Venerabilem Fratrem Ludouicum Episcopum olim Coronen. in Patriarcham Aquileien. Electum apud Sedem constitutum eandem, à vinculo, quo eidem Ecclesiæ Coronen. cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absoluentes, ipsum ad Ecclesiam Aquileien. tunc vacantem Apostolica auctoritate transtulimus, ac eidem Aquileien. Ecclesiæ in Patriarcham præfecimus & pastorem. Nos ad prouisionem ipsius Ecclesiæ Coronen. celerem & felicem, ne longæ vacationis detrimenta subiret, paternis & sollicitis studiis intendentes, ac cupientes eidem Coronen Ecclesiæ talem præsidere personam, quæ sciret, vellet, & posset eam præseruare à noxiis & aduersis, ac in suis manutenere iuribus, & etiam adaugere. Post deliberationem, quam super his cum fratribus nostris prædictis habuimus diligentem, demum ad te tunc Episcopum

Pacten.

Pacten. consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam diuina gratia multipliciter insigniuit; & quòd tu, qui præfatæ Ecclesiæ Pacten. hactenus laudabiliter præfuisti, dictam Coronen. Ecclesiam scies & poteris auctore Deo vtiliter regere, & feliciter gubernare, direximus oculos nostræ mentis. Intendentes itaque tam eidem Coronen. Ecclesiæ, quàm gregi dominico eiusdem salubriter & vtiliter prouidere, te à vinculo, quo tenebaris præfatæ Pacten. Ecclesiæ, cui tunc præeras, de fratrum prædictorum Consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absoluentes, te ad præfatam Ecclesiam Coronen. transferimus, teque illi præficimus in Episcopum & pastorem; curam & administrationem ipsius Ecclesiæ Coronen. tibi in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, liberámque tibi dando licentiam ad dictam Coronen. Ecclesiam transeundi: in illo, qui dat gratias, & largitur præmia confidentes, quòd dextera Domini tibi assistente propitia, ipsa Coronen. Ecclesia per tuæ industriæ ac circumspectionis

fructuo

fructuoſum ſtudium regetur vtiliter, & proſperè dirigetur. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad præfatam Coronen. Eccleſiam cum gratia noſtræ benedictionis accedens, eius ſollicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commiſſum doctrina verbi & operis informando. Ita quòd dicta Eccleſia Coronen. gubernatori circumſpecto & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, ac bonæ famæ tuæ odor ex laudabilibus tuis actibus latiùs diffundatur, & præter æternæ retributionis præmium noſtræ beneuolentiæ gratiam valeas proinde vberiùs promereri. Datum Auinioni 6. Idus Maij anno 7.

BVLLA

BVLLA XVIII.

Innocentius, &c.

Venerabili Fratri Petro Episcopo Coronen. Apostolicæ Sedis Legato.

Instituitur Legatus Apostolicus in amplissimis prouinciis.

Ex lib. secretorũ epist. 5.

ANgit nos cura propensior, & sollicitudo sedula nos impulsat, vt super vniuersum gregem Dominicum pastores, quanquam immeriti, disponente Domino constituti, ad illos maximè ex grege ipso, qui longè sepositi patiuntur aduersa nostræ vigilantiæ studium diligentiùs extendamus; & quia vbilibet, repugnante natura, personaliter esse non possumus, illius exemplo, qui de cœlo ad ima descendẽs, per vniuersum mundum discipulos suos misit, in partem nobiscum sollicitudinis euocatos, vt vices nostras suppleant, destinemus. Dudum siquidem anxiè

anxiè cogitantes inſultus acerrimos, grauiúmque perſecutionum anguſtias, & damna maxima, quibus Turcarum infidelium furor immanis fidelium Chriſtianorum populos, eorúmque terras, & loca præcipuè Romaniæ, ciuitatíſque Smyrnarum, vt illa ſuæ poteſtati ſubiiceret, diu afflixerat, & quotidie crudeliùs affligebat, vt ipſorum infidelium obſiſteretur inſultibus, & fidelibus opportuna remedia pararentur, frequenter idoneos Nuntios noſtros ad partes illas duximus, ibíque Legatum conſtituimus, ſuffragia multa præſtitimus, alióſque fideles ad illa præſtandum induximus diligenter, & nonnullos alios in prædictos labores pertulimus; & quantum nobis poſſibile fuit, opem & operam adhibuimus diligentem. Sed licèt huiuſmodi noſtra dictorúmque fidelium ſtudia & opera fructuoſa felicem ſatis, authore Domino, Nuntiiſque, progreſſum habuerint, quia tamen dictorum Turcarum ſæua rabies non tepeſcit, ſed tam ipſi quàm alij plurimi infideles, atque ſchiſmatici partium earundem ad extinctionem Chriſtiani

nominis, & depreſſionem Catholicæ fidei magis, magiſque quotidie ſatagentes fideles ipſos, & eorum terras, & loca continuis inuaſionibus atque damnis & afflictionibus perſequuntur; & non ſolùm partes ipſas, ſed etiam Patriarchatum Conſtantinopolitanum, & eius prouincias, in quibus Chriſtianæ religionis nomen viget, inuadunt immaniter, & percurrunt: Nos cupientes malis huiuſmodi, quantum cum Deo poſſumus, obuiare, ac ipſorum fidelium quieti ſalubriter prouidere, inter alia nonnulla remedia, quæ cum multis & magnis tam ſpiritualibus, quàm in temporalibus auxiliis præfatis negotiis de nouo duximus adhibenda. Ad te, qui vir timoratus & prouidus, & in lege Domini, ipſaque fide Catholica admodùm eruditus, ac frequenter in arduis, & præſertim in illis partibus comprobatus, clarus ſcientia, plenúſque multis virtutibus prædicaris, noſtræ conſiderationis intuitum conuertentes, deliberatione ſuper hoc cum Fratribus noſtris præhabita diligenti, tibi in eiſdem Patriarchatu Conſtantinopolitano, & regno Cypri,

Cypri, & in Creten. Smyrnarum, Patracen. Athenien. Theban. Corinthien. Colocen. Nixien. Corphien. Duracien. Neopacen. & Neopatriæ Archiepiſcopatibus, & eorum, dictíque Patriarchatus prouinciis pro ſubſidio fidelium & partium earundem, omnem alium Legatum per nos in partibus illis deputatum reuocantes, plenæ legationis officium auctoritate Apoſtolica, de dictorum fratrum conſilio committimus per præſentes, vt ibidem auctore Domino recta regens, & dirigens in directa, & aſpera conuertens in plana, ſicut diligens cultor euellas, & deſtruas, diſſipes, & diſperdas, ædifices, & plantes, quæ pro negotiorum huiuſmodi, ac morum, & Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum regni Patriarchatus, ac prouinciarum, & partium prædictarum reformatione & ſtatu, ac aliàs ad Legati officium pertinent, & ſicut Dominus miniſtrabit. Nos enim vt ipſius legationis officium eò vtiliùs exequi valeas, quò maiori fueris auctoritate munitus, præſentium tibi auctoritate concedimus, vt in Patriarchatu,

ac regno, Archiepiſcopatibus, & prouinciis ſupradictis, ſuper huiuſmodi vniuerſis & ſingulis aliis negotiis, de quibus expedire videris, agere, diſponere, ſtatuere, ordinare, & præcipere, inter Reges & Principes, aliáſque perſonas Eccleſiaſticas & ſæculares in eiſdem partibus conſiſtentes, ad vtilitatem, commoditatem, & effectum negotiorum ipſorum, ligas, & confœderationes, ſocietates, ſeu vniones componere, ſtatuere, ordinare, & firmare, & per te, vel alium, ſeu alios, quacunque auctoritate factas, initas, tractatas, ſeu firmatas approbare, & executioni mandare, ac mandari facere; & inter diſſidentes, ſeu diſcordes pacem & concordiam reformare, treguáſque, ſeu inducias inire, & firmare, ac reformatas, initas, & firmatas obſeruari facere; Nec non contradictores, & rebelles cuiuſcunque dignitatis, & ſtatus, vel conditionis exiſtant, etiamſi Epiſcopali, vel maiori præfulgeant dignitate, auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellere valeas, Fraternitati tuę plenam & liberam tenore præſen

præſentium concedimus poteſtatem: Nō obſtantibus quibuſcunque priuilegiis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quibuſvis perſonis, vel locis, aut Ordinibus ab Apoſtolica Sede conceſſis, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta huiuſmodi tuæ legationis & poteſtatis officium poſſet quomodolibet impediri, aut etiam retardari. Aut ſi aliquibus communiter vel diuiſim à dicta ſit Sede indultum, quòd excommunicari, ſuſpendi, aut ipſi, vel eorum ciuitates, caſtra, villæ, & loca interdici non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Quocirca Fraternitatem tuam rogamus & hortamur attentè, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, ac in remiſſionem peccaminum iniungentes, quatenus de diuina gratia & Apoſtolico fauore confiſus, onus tam ſalubris negotij deuota mente, & animo ſuſcipiens reuerenti, te in executione legationis huiuſmodi taliter verbo & opere reddas, quòd ad Redemptoris noſtri laudem, ſa-

lutémque fidelium eorundem præfata negotia felicem Deo propitio, & te promouente consequantur effectum. Datum Auinione 5. Idus Maij anno septimo.

BVLLA XIX.

Innocentius, &c.

Venerabilibus fratribus Petro Episcopo Coronen. Apostolicæ Sedis Legato, nec non Patriarchæ Constantinopolitano, ac Nicosien. Creten. Smyrnarum, Patracen. Athenien. Theban. Corinthien. Colocen. Nixien. Corphien. Duracen. Neopacen. & Neopatriæ Archiepiscopis, eorúmque suffraganeis &c. salutem.

Vt exercitum Cruce signatorum contra Turcas conscribant.

Ibidem epist.11. INsurgentibus contra fidem Catholicam, & religionem deprimere molientibus

tibus Chriſtianam, ea virtute, illáque conſtantia eſt à fidelibus reſiſtendum, vt fideles ipſi Orthodoxæ fidei ardore ſuccenſi, virtutibúſque pro poſſe ſuccincti, deteſtandum illorum propoſitum obice contrariæ intentionis impediant, & roboris oppoſitione conatus iniquos prohibeant eorundem, ſícque mentis & corporis armatura muniti, & directi lumine fidei inſurgentes eoſdem ſpeciali carentes munimine, & infidelitatis tenebris obcæcatos, Deo, cui militant, ipſis aſſiſtente proſternant. Dudum ſiquidem anxiè cogitantes, &c. *vt in præcedenti vſque ad* rabies non tepeſcit. Sed tam ipſi, quàm nonnulli alij infideles & ſchiſmatici, ad ipſorum & eorum terras, & loca, continuis inuaſionibus, atque damnis, & afflictionibus perſequuntur, & non ſolùm partes ipſas, ſed etiam Patriarchatum Conſtantinopolitanum, eiúſque prouincias, in quibus Chriſtiani nominis fauor viget, inuadunt vnanimiter, & percurrunt, Chriſtianos ipſos in ore gladij inhumaniter trucidant, alióſque velut animalia bruta vendunt, eóſque in feram

ſeruitutem redactos præfatam fidem abnegare compellunt,& ſacratiſſimam Crucem, mortem Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti,ac ſalutem humani generis indicantem lacerant, & confringunt, pedibúſque conculcant, Eccleſias, & Eccleſiaſtica loca,alias terras,& villas, quas pro ſe tenere,& cuſtodire non poſſunt, ignis incendio concremant, cunctáque depopulantur & vaſtant, & in tantum eorum inualuit, & inualeſcit audacia, quòd niſi per Chriſti fideles ſub ſpe diuinæ potentiæ viriliter obſiſtatur eiſdem, peſtifer ignis ipſe ſemper vlteriùs excandeſcens, ſingulas partes ipſas,proh dolor! diſſipabit. Propter quod nos nuper cupientes periculis & malis huiuſmodi, quantum cum Deo poſſumus, obuiare, ac ipſorum quieti fideliũ ſalubriter prouidere, te Fr. Epiſcope Coronen. Legatũ, & dilectum filium Nicolaum Benedicti Præceptorem domus Venuſin. Hoſpitalis S. Ioannis Ieroſolymitani in dicta ciuitate Smyrnarum Vicarium & Capitaneum cum certis galeis, ſub noſtro, & ipſius Romanæ Eccleſiæ nomine & vexillo tenendis,
de

de nouo ad partes ipſas, vt ibidem ipſorum fidelium populorum, & partium ſalutem, fideíque negotium vtiliter proſequantur, de fratrum noſtrorum conſilio duximus deſtinandos, & nonnulla alia ſubſidia, prout malorum dierum conditio, & alia eidem Eccleſiæ incumbentia, in aliis diuerſis mundi partibus onera patiuntur, duximus eroganda, per quæ, quamuis in eo, cuius res agitur, ſperemus indubiè, quòd negotia ipſa ad ipſius Domini noſtri, ſuíque ſacri nominis laudem & gloriam, ipſiúſque Catholicæ fidei, & profeſſorum ipſius defenſionem & exaltationem feliciter debeant proſperari; Pro feliciori tamen proſecutione negotiorum ipſorum, quæ longè maioris ſubuentionis auxiliis indigere noſcuntur, & fidelium aliorũ opportuna & charitatiua ſubſidia inſtanter implorant, fideles ipſos ad id quibuſdam ſpiritualibus munificentiis, indulgentiis videlicet & remiſſionibus prouidimus inuitandos. Quocirca Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenus ſtatum miſerabilem Chriſtianorum di-

ctarum partium attendentes, tanquam præcones fideles, & fortes athletæ fidei contra infideles eosdem, tu videlicet frater Episcope, in omnibus decretis legationis tuæ partibus & prouinciis, singuli verò vestrûm fratres, Patriarcha, Archiepiscopi, & Episcopi, in singulis vestris ciuitatibus & diœcesibus, per vos, & alias personas Ecclesiasticas sæculares & regulares, quorumcunque ordinum, quas ad hoc idoneas fore noueritis, Christi fidelibus, iuxtà datam vobis, & eis à Deo prudentiam, proponatis publicè verbum Crucis, & venerabile signum eius, quibusvis fidelibus illud suscipere deuotè volentibus concedatis, ipsorúmque humeris imponatis, fideles eosdem, quos ad audiendum propositionem ipsam, quoties expedierit, ad loca idonea conuocare possitis, sollicitis exhortationibus & opportunis instantiis inducentes, vt ipsi suscipientes cum reuerentia signum Crucis, ipsúmque suis cordibus imponentes, contra infidelium prædictorum perfidiam insurgant viriliter, & negotium ipsum feruenter assumant, & feruentiùs

uentiùs proſequantur. Et vt ipſi fideles tantò libentiùs præmiſſa proſequi ſtudeant, quantò ex ſuis laboribus potiorem gratiam ſe nouerint percepturos. Nos de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, & illa, quam nobis Deus, licèt indignis, ligandi atque ſoluendi contulit poteſtatem, eiſdem fidelibus, qui cum galeis, & aliis lignis naualibus, & aliàs in ſuccurſum & ſubſidium Chriſtianorum partium prædictarum contra infideles eoſdem in perſonis propriis & expenſis, ſiue per terram, ſiue per mare infra proximos octo annos profecti fuerint, ac per vnum annum continuum, vel interpolatim, in dicti proſecutione negotij fuerint commorati; nec non & illis, qui in proſecutione dicti negotij deceſſerint, vel in proſecutione huiuſmodi vulnerati fuerint, etiamſi alibi vbicunque ex talibus vulneribus decedere eos contingat, illam ſuorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore confeſſi, veniam indulgemus, quæ conceditur transfretantibus in ſubſidium

ſidium Terræ-ſanctæ, & in retributione iuſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eos autem, qui non in perſonis propriis illuc acceſſerint, ſed ſuis dumtaxat expenſis, iuxta qualitatem & facultatem ſuam, bellatores idoneos deſtinabunt, per tempus vnius anni in huiuſmodi proſecutione negotij moraturos; & illis ſimiliter, qui licèt cum alienis expenſis, in propriis tamen perſonis illuc acceſſerint, per dictum tempus vnius anni morabuntur, eandem concedimus veniam peccatorum, huiuſmodi quoque remiſſionis & indulgentiæ volumus & concedimus eſſe participes, iuxta quantitatem ſubſidij, & deuotionis affectum omnes, qui ad ſubuentionem dicti negotij de bonis ſuis congruè miniſtrabunt, aut circa præfata auxilium vel conſilium impenderint opportuna. Inſuper volentes vt huiuſmodi pium negotium maioribus ſubſidiis adiuuetur; Etiam illis, qui tantum de bonis propriis pro dicto negotio erogauerint, quantum eſſent illuc eundo, & inibi per vnum annum continuum morando, & redeundo etiam expen

expenſuri ſimiliter, verè pœnitentibus & confeſſis eandem ſuorum peccaminum veniam indulgemus. Datum vt ſuprà.

BVLLA XX.

Innocentius, &c.

Venerabili Fratri Vrſo Archiepiſcopo Creten.

Vt cedat B. Petro legationem & regimen ciuitatis Smyrnarum.

NVper non ſine magna cordis amaritudine intellecto, quòd Turci & nonnulli alij infideles atque ſchiſmatici illarum partium, ciuitatem Smyrnarum, & prouincias Romaniæ, aliáſque terras & loca fidelium partium earundem, necnon Patriarchatum Conſtantinopolitanum eiúſque prouincias, in quibus Chriſtianæ religionis nomen viget, vt illa ſuæ ſæuæ poteſtati ſubiiciant, feruentiùs ſolito per Ibidem ep. 29.

to per

to per mare & terram inuadere, & assiduis incursibus ad depressionem Christiani nominis & Catholicæ fidei totis viribus moliuntur; Nos inter cætera, quæ ad huiusmodi eorum conatus nefarios reprimendos, & prosperum fidelium statum vtiliter promouendum, in præsentiarum agenda conspeximus, Venerabilem Fratrem nostrum Petrum Episcopum Coronen. virum vtique in lege Domini, ipsáque fide Catholica admodum eruditum, magnáque circumspectione præditum, scientia clarum, opere & sermone potentem, & in magnis & arduis, & præsertim in illis partibus comprobatum, in Apostolicæ Sedis Legatum ad partes ipsas, commisso sibi in eis plenæ legationis officio, & dilectum filium Nicolaum Benedicti Præceptorem domus Venusinæ Hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani, virum etiam religionis & fidei zelo conspicuum, in spiritualibus & temporalibus circumspectum, aliísque virtutibus, sicut testimoniis fide dignis accepimus, multipliciter insignitum, prædictæ ciuitatis Smyrnarum Vicarium &

Capita

Capitaneum, de fratrum noſtrorum conſilio, duximus deſtinandos. Idémque Capitaneus ſicut apud Sedem præfatam idoneè cauit ciuitatem præfatam non ſolùm fideliter cuſtodire, & ad ipſius cuſtodiam centum quinquaginta bonos & ſufficientes ſtipendiarios Latinos tenere, ſed etiam infra ſeptennium proximè futurum muris cingere, turribúſque munire, ac duas galeas benè armatas ad cuſtodiam ciuitatis, & partium earundem, ſub noſtro, & Rom. Eccleſiæ nomine & vexillo, quarum etiam eundem Nicolaum Capitaneum fecimus per octo annos proximos etiam tenere debebit, quorum occaſione nonnulla pecuniaria, & alia ſubſidia eidem Nicolao eroganda prouidimus & etiam ordinanda. Et nihilominus pro feliciori negotiorum ipſorum executione, verbum Crucis ad hoc decreuimus proponendum. Quocircà Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus commiſſa tibi dudum per nos legationis, dictæque ciuitatis Vicariatus & Capitaneatus officia, de quorum felici diligentíque proſecutione,
ſicut

ſicut à fide dignis accepimus, potes & debes meritò commendari, vt huiuſmodi per nouiter ordinata felicem, Deo auctore, ſortiantur effectum, liberè ac ſponte dimittens, præfatam cuſtodiam ciuitatis eiuſdem cum omnibus guarnimentis & rebus ad cuſtodiam Vicariatum & Capitaneatum prædictos ſpectantibus dicto Nicolao tradas liberaliter & aſſignes. Et nihilominus de geſtis & adminiſtratis per te in dicto Vicariatu & Capitaneatu prædictis ac habitis & expenſis fidelem tui, & prout præfatus Epiſcopus Legatus ordinandum duxerit, ſtudeas reddere rationem, & reſidua, ſi qua fuerint, præfato Nicolao Capitaneo in præfatorum negotiorum ſubſidium aſſignare, ipſique Legato deinceps ob dictæ Sedis & noſtram reuerentiam iuxta tenorem aliarum noſtrarum literarum, quas ſuper legatione ſua & aliis ſibi commiſſis, tibi, & aliis Prælatis illarum partium ſcripſimus, fideliter pareas & intendas, dictúmque etiam Nicolaum circa præmiſſa opportunis fauoribus & auxiliis proſequaris, ita quod inde apud nos tua poſſit

poſſit deuotio meritò commendari. Datum vt ſuprà.

BVLLA XXI.

Innocentius, &c.

Venerabili Fratri Petro Epiſcopo Coronen. Apoſtolicæ Sedis Legato.

Inſtituitur generalis Inquiſitor in partibus ſuæ legationis.

CVm te ad Conſtantinopolitanæ ac Romaniæ, & nonnullas alias prouincias, atque partes in literis tuæ legationis expreſſas, pro quibuſdam arduis Catholicæ fidei & Eccleſiæ Romanæ negotiis deſtinemus; Nos cupientes, vt Catholica fides in eiſdem partibus ex ſtudiis tuis, auctore Domino, dilatetur, extirpatis erroribus hæreticæ prauitatis, Fraternitati tuæ inquirendi & procedendi, durante legatione huiuſmodi, contra quoſ- Ibidem epiſt. 31.

cunque hæreticos, atque ſchiſmaticos, & de hæretica, ſeu ſchiſmatica prauitate ſuſpectos, aut etiam diffamatos, ſeu qualitercunque in ipſa culpabiles, ipſorúmque adiutores, fautores, & receptatores eoſdem, & ipſos, & ipſorum quemlibet puniendi iuxta canonicas ſanctiones & ciuiles, & ſpecialiter ſecundùm conſtitutiones, à quondam Federico olim Romanorum Imperatore editas, contra hæreticos, fautores, & receptatores eoſdem, dum adhuc in Sedis Apoſtolicæ gratia Fredericus perſiſteret, nec non & iuxta formam priuilegiorum Sedis Apoſtolicæ conceſſorum Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, & inuocandi ad hoc, cùm opus fuerit, auxilij brachij ſæcularis. Contradictores inſuper & rebelles, ac impedientes quoſlibet cuiuſcunque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendi: Non obſtan. ſi eis aut alicui, vel aliquibus eorundem communiter, vel diuiſim à dicta ſit Sede indultum, vel contingeret indulgeri, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non

poſſint

poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, ac perſonarum & locorum nominibus mentionem plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem. Per hoc autem locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus prauitatis eiuſdem non intendimus derogare, quin ipſi, & eorum quilibet contra hæreticos credentes, adiutores, fautores, vel receptatores eorum inquirere & procedere valeant, prout viderint expedire. Datum vt ſuprà.

BVLLA XXII.

Vrbanus V.

Venerabili Fratri Petro Patriarchæ Constantinopolitano, Apostolicæ Sedis Legato, &c.

Fit Legatus expeditionis contra Turcas.

AD hoc sumus in eminentis Sedis Apostolicæ specula (disponente Domino) constituti, vt domui Israël, vniuersis videlicet Christianis, qui fidei oculo Deum vident, speculatorum officium impendamus; sed quia humana repugnante natura non possumus singula nobis conuenientia efficere per nos ipsos, ad instar illius, qui cùm sit totus vbique, spiritus, tamen Angelos suos facit ministros, & pro suo beneplacito cũcta disponens, in vniuersum mundum Discipulos, quos elegerat, destinauit, cum Fratribus nostris onera nostra diuidimus, vt illos, quibus non valemus corporali-
ter

ter præſentiam exhibere, imperfectum naturæ, poteſtate ſupplente, per eoſdem Fratres, quaſi per quoſdam noſtros oculos viſitemus, ſicque tales in partem ſollicitudinis euocemus, qui aſpera conuertant in plana, & rectas faciant ſemitas Dei noſtri, populúmque acceptabilem ei reddant. Dudum ſiquidem attendentes, quòd peccatis exigentibus, Terram ſanctam Agarenorum gens perfida Saluatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti, & ſuæ orthodoxæ fidei inimica à longis retrò temporibus, non abſque damnoſa negligentia Chriſtiani populi occupauerat, & detinuerat prout detinebat, occupatam, eam polluendo abominandorum patratione ſcelerum, ac pro ancilla tenendo, quæ Domina gentium debet eſſe; quódque ex oppreſſione Turcarum crudelium multas calamitates patiebatur, prout patitur Chriſtianus populus Orientis, chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Petro Regi Cypri Illuſtri, cuius regnum eſt in ipſorum Infidelium finibus conſtitutum, de ſtatu dictorum infidelium, quem ipſe Rex ex impiorum mortalitatibus, & diſ-

cordiis debilitatum, & prostrationi dispositum asseruit, præsertim ex captione ciuitatis Sataliæ, ac nonnullorum castrorum, & locorum, quæ idem Rex suis prouidentiis, personalibúsque laboribus, & expensis de manibus infidelium prædictorum eripuerat, ex quo infideles ipsos multus, vt asseritur, timor inuaserat, plenariè informato, nobis ac Fratr. nostris S.R.E. Cardinalibus, ac nonnullis Catholicis Principibus, & Magnatibus, aliisque fidelibus populis, vias & modos, per quos tunc temporis poterat, prout potest faciliter eorundem Agarenorum, & Turcarum elidi potentia, ac fieri recuperatio dictæ Terræ, ostendente prudenter oraculo viuæ vocis, de dictorum Fratrum consilio ad eandem Terram sanctam & alias partes infidelium Orientis passagium generale, Authoritate Apostolica indiximus, ac bonæ memoriæ Talayrandum Episcopum Albanensem ad partes illas, commisso sibi plenæ legationis officio, prouidimus destinandum, & tam claræ memoriæ Ioanni Regi Franciæ, Capitaneo, Rectori ipsius passagij per nos consti

conſtituto, quam præfato Regi Cypri, ac aliis multis nobilibus, qui cum eorum poteſtate pro recuperatione Terræ-ſanctæ prædictæ promiſerant perſonaliter transfretare, ac receperunt de manibus noſtris venerabile ſignum Crucis, ac etiam cæteris Cruce ſignatis & ſignandis Kalendis Martij anni Natiuitatis Domini 1365. proximè ſecuturi, pro termino ad transfretandum in dicto paſſagio duximus aſſignandos. Cùm autem idem Rex Franciæ & Epiſcopus, ſicut Domino placuit, ſint viam vniuerſæ carnis ingreſſi, & dictus Rex Cypri ad ſuccurrendum eiſdem fidelibus, & conatus eorundem infidelium reprimendum velut athleta Chriſti & præcurſor intrepidus proponat in breui cum auxiliis vltramarinorum fidelium transfretare; nunc attendentes quòd vrgens & euidens prædictarum vltramarinarum partium, quas fideles inhabitant, neceſſitas exigit ad eas à nobis deſtinari Legatum, qui vice noſtra dirigat, & diſponat negotium paſſagij prælibati, & ad te virum vtique ſecundùm cor noſtrum honeſtate conſpicuum,

religione probatum, ac præclarum sciẽtia, humilitate sublimem, mansuetudine generosum, multa prouidentia circumspectum, & in lege Domini, ipsaque fide Catholica admodùm eruditum, qui ailàs commissum tibi in partibus illis legationis officium laudabiliter exercuisti, nostræ considerationis intuitum dirigentes, deliberatione super hoc cum Fratribus nostris præhabita diligenti, tibi in Patriarchatu Constantinopolitano ac regno Cypri, & in Cretensi, Smyrnensi, Patracensi, Atheniensi, Thebano, Corinthiensi, Colossensi, dicto Rhodo, ac Nixiensi, Carphiensi, Duracensi, Neopacensi, & Neopatiensi, Archiepiscopatibus, & eorum, dicti Patriarchatus prouinciis, & aliis vltramarinis partibus, ad quas per nos est indictum passagium supradictum pro subsidio eiusdem Regis Cypri, & aliorum transfretantium ad Christi fidelium partes, eiusdem plenæ legationis officium Authoritate Apostolica, de dictorum Fratrum consilio committimus per præsentes, vt ibidem authore Domino, rectè regens & dirigens, indirecta, &

aspera

aſpera conuertens in plana, ſicut diligens cultor euellas, & deſtruas, diſſipes,& diſperdas, ædifices atque plantes, quæ pro negotio huiuſmodi, ac transfretantium, nec non Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum prædictarum reformatione ac ſtatu indigere noſcuntur,aliáque ad Legati officium pertinentia efficias, ſicut tibi Dominus miniſtrabit,Nos enim vt ipſius legationis officium, eò vtiliùs exequi valeas,quo maiori fueris authoritate munitus, præſentium tibi authoritate concedimus, vt in Patriarchatu ac regno, Archiepiſcopatibus, prouinciis & terris ſupradictis, ſuper huiuſmodi, ac vniuerſis & ſingulis aliis negotiis, de quibus expedire videris, agere, diſponere, ſtatuere, ordinare, ac præcipere, & inter Imperatores & Reges,& Principes, aliáſque perſonas Eccleſiaſticas & ſæculares, in iiſdem partibus conſiſtentes, ad vtilitatem, commodum, & effectum negotiorum ipſorum, ligas & confœderationes, ſocietates, ſeu vniones ſtatuere, ordinare, firmare, & facere, & per te,vel alium, ſeu alios, quacumque authoritate

functos initas, tractatas, seu firmatas approbare & executioni mandare, ac mandari facere, & inter diffidentes & discordes, pacem & concordiam reformare, treguas, seu inducias inire, & firmare, ac reformatas, initas, & firmatas obseruare facere, nec non contradictores & rebelles cuiuscumque dignitatis & status, vel conditionis existant, etiamsi Episcopali, vel maiori, aut Regali, vel Imperiali præfulgeant dignitate, Authoritate nostra per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellere valeas, Fraternitati tuæ plenam & liberam tenore præsentium concedimus potestatem; non obstantibus quibuscumque priuilegiis Apostolicis, generalibus, vel specialibus, quibusvis personis, locis aut Ordinibus ab Apostolica Sede concessis, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, huiusmodi tuæ legationis & potestatis officium possit quomodolibet impediri, seu etiam retardari, seu si aliquibus communiter, vel diuisim à dicta sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi, aut ipsi vel eorum ciuitates, castra,

ſtra, villæ, terræ, & loca interdici non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi mẽtionem. quocirca Fraternitatem tuam rogamus & hortamur attentè per Apoſtolica noſtra ſcripta mandantes, ac in remiſſionem peccaminum iniungentes, quatenus de diuina gratia & Apoſtolico fauore confiſus, onus tam ſalubris negotij, deuota mente, & animo ſuſcipias reuerenti, & te in executione legationis huiuſmodi talem verbo & in opere reddas, quòd ad Redemptoris noſtri laudem ſalutémque fidelium eorundem præfata negotia fœlicem Deo propitio, & te promouente, conſequantur effectum. Datum Auinione ſexto Idus Iulij, anno ſecundo.

BVLLA

BVLLA XXIII.

Chariſſimo in Chriſto Filio Petro Regi Cypri Illuſtri ſalutem,&c.

Indicat creatum à ſe Legatum B. Petrum.

Ibidem ep. 241.

SIcut ad Serenitatem Regiam iam peruenisſe putamus; dudum nos conſiderantes zelum fidei, ſcientiæ donum, & circumſpectionis induſtriam, aliáque multiplicia virtutum merita Venerabilis Fratris noſtri Petri Patriarchæ Conſtantinopolitani, Apoſtolicæ Sedis Legati, olim in vltramarinis partibus laudabiliter comprobata, eum de negotiis, & ſtatu earundem partium, in quibus dictæ Sedis Legatus extitit, plenariè informatum, & prout per experientiam nouimus, tuæ ſublimitati acceptum, ad partes ipſas in fauorem, & fulcimentum generalis paſſagij prouidimus remittere, dudum commiſſo ſibi de nouo legationis officio in eiſdem, prout in literis noſtris inde confectis,

fectis, pleniùs continetur. Quocirca Celſitudinem tuam, licèt expedire non credamus, rogamus, & hortamur attentè, quatenus eundem Legatum pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reuerentia, Regiis fauoribus, & honoribus proſequaris. Datum Auinione 11. Kal. Iulij, anno ſecundo.

BVLLA XXIV.

Venerabili Fratri Petro Patriarchæ Conſtantinopolitano, Apoſtolicæ Sedis Legato, &c.

Mittitur pacificator ad Ianuenſes.

DE ſuſcitata dudum diſcordia inter quoſdam ciues Ianuenſes, & incolas regni Cypri, valde dolentes, prout dolemus ab intimis, ne ad actum bellicoſum procederetur, ſicut nouit tua Fraternitas, apud dilectos filios nobilem virum Ducem & Commune ciuitatis Ianuen. preliteras & Nuntios interpoſuimus efficaciter

Ex lib. ſecre. an. 3. fol. 51.

caciter partes noſtras, ipſóſque Ducem & Commune à motione nouitatis cuiuſlibet hucúſque fecimus abſtinere, ſperauimúſque quòd chariſſimus in Chriſto filius noſter Petrus Rex Cypri Illuſtris ad Italiæ partes regrediens, ſe cum eiſdem Duce ac Communi amicabiliter concordaret, & ad hoc, vt audiuimus, dilecti filij nobilis viri Dux & Commune Venetiarum, ſicut viri pacifici, interpoſuerunt fideliter partes ſuas. Sed vt habet fide digna relatio, iidem Dux & Commune Ianuen. ad hoc induci minimè potuerunt, propter quod nos damnis futuri diſſidij opportunis obuiare remediis cupientes, de tuis prudentia, & fide, ac zelo pacis in hac parte potiſſimè gerentes in Domino fiduciam pleniorem, Fraternitatem tuam hortamur attentè, mandantes quatenus ad ciuitatem Ianuen. te transferas ſine mora, & pro dicta concordia ex parte noſtra labores ſollicitè ſecundùm prudentiam à Domino tibi datam. Nos autem per alias noſtras patentes literas opportunam in hac parte tibi tribuimus facultatem, & tenores harum,

rum, quas dictis Regi & Duci ac Communi Ianuen. dirigimus inclusos præsentibus, destinamus. Quòd si eosdem discordantes, quod absit, concordare non posses, indictis treguis longi temporis inter eos inuiolabiliter sub pœnis congruis obseruandis, ipsos moneas & inducas, ac Ecclesiastica censura compellas ad mittendum infra terminum competentem ad nostram præsentiam Ambassiatores, & procuratores idoneos cum plenis mandatis super negotio prælibato, quod cum auxilio Dei speramus, prout cupimus, feliciter terminare. Datum Auinione 10. Kal. Martij anno tertio.

BVLLA XXV.

Dilectis Filiis nobili viro Gabrieli Adurno Duci ac Consilio & Cōmuni ciuitatis Ianuen. &c.

Eos hortatur ad pacem ineundam cum Rege Cypri sequestro B. Petro.

IN æstate nuper elapsa dum charissimus in Christo filius noster Petrus Rex Ibid.

Cypri

Cypri Illustris, Saluatori nostro & eius sacratissimæ fidei velut apis argumentosa deseruiens, pro promotione subsidij passagij generalis de nostro beneplacito & mandato certa regna fidelium, & tunc præsertim partes Alemanniæ peragraret, ad aures nostras amara nimis relatione perducto, quòd operante satore zizaniæ, inter quosdam ciues vestros in regno Cypri degentes, & incolas eiusdem regni, grauis tumultuosáque fuerit discordia suscitata, ex qua vos multa indignatione commoti, pro ciuibus eisdem, vt in eodem Regno non morarentur vlteriùs dicebamini destinare; quódque propterea timebatur probabiliter ne non solùm à communione mutua cessaretur in posterum, sed inter vos & eosdem incolas periculosa nouitas oriretur. Nos discretionem vestram attentè rogauimus, ac paternè fecimus exhortari, vt considerantes maturè, quòd idem Rex tempore dictæ discordiæ erat in cismarinis partibus, & quòd tamquam Princeps prudens, & iustus, vestérque amicus de iniuriis & damnis ciuibus illatis eisdem, prout

prout veriſimilis credulitas ſuggerebat, ſatisfactionem fieri faceret, ac debitam iuſtitiam miniſtraret, & quod vos ſicuti deuoti Chriſtiani, & pugiles Chriſti proſperitatem dicti paſſagij, pro quo vos magnificè obtuliſtis, optare meritò debebatis, quódque per diſcordiam huiuſmodi, ſi procederet, totaliter impediretur. Paſſagium memoratum, pro Dei ac ſacræ fidei, ac Apoſtolicæ Sedis, & noſtra reuerentia ab omni nouitate propter præmiſſa vel ſimilia facienda abſtineretis omnino, promiſſum per vos pro dicto paſſagio exhibere ſubſidium non ceſſantes, noſque pro ſatisfactione huiuſmodi vobis ſiue eiſdem ciuibus facienda tam apud dictum Regem, cui tunc ſcripſimus, quàm aliàs, prout opportunum foret, obtulimus paternis affectibus, & prout in nobis foret, efficacibus effectibus interponere partes noſtras, deinde decretum illud quod noſtro verſabatur in corde opportunis & feruentibus ſtudiis proſequentes, ne cauſa iſta vulnus nouitatis reciperet, cui non poſſet de facili ſanatiuum remedium adhiberi, ac ſperantes,

quòd in reditu dicti Regis ad partes Italiæ, vbi vicinitatis interueniret commoditas, inter vos & ipsum reformaretur sperata concordia satis citò vos, tam per literas, quam per fideles personas sollicitare curauimus, quod præmissorum occasione nullam faceretis noxiam nouitatem, obtulimúsque nos paratos vobis, seu vestris ciuibus facere congruè satisfieri de damnis & iniuriis prælibatis, vt vbi hoc per dictum Regem, seu subditos suos non fieret, promisimus per nos ipsos taliter hoc efficere, quòd possetis meritò contentari. Vosque vt deuoti filij nostris huiusmodi exhortationibus hucúsque acquiescere curauistis. Postmodum verò præfato Rege reuerso ad dictas partes Italiæ grata auditione percepimus, quòd dilectus filius Laurentius Celsi Dux Venetiarum, vbi præfatus Rex asseritur præsentialiter permanere, pro tractanda inter vos & præfatum Regem concordia, solemnes ad vos Ambassiatores destinare curauit; de quo considerato, quòd propter locorum vicinitatem negotium dictæ concordiæ commodiùs in partibus illis

illis quàm apud Apoſtolicam Sedem tractari & perfici poterat, fuimus valde læti: ſed nouiſſimè cum diſplicentia multa percepimus, quod iidem Ambaſſiatores Venetias vacui redierunt, vobis diſpoſitis ad guerram eidem Regi & ſuis Regnicolis inferendam. Nos igitur ex his tamquam ex impedimento & ſubuerſiono manifeſtis dicti paſſagij meritò ſuſpirantes ab intimis, & ad obuiandum tanto malò, quo maius exiſtimare neſcimus valituris remediis cogitantes, venerabilem fratrem noſtrum Petrum Patriarcham Conſtantinopolitanum Apoſtolicæ Sedis Legatum, virum vtique circumſpectum, ſcientia præditum, zelatorem pacis & de vltramarinis negotiis informatum, in partibus Italiæ nunc degentem, quem notum veſtrum & beneuolum reputamus, ad veſtram præſentiam pro informatione huiuſmodi prouidimus acceſſurum, ſibíque per Apoſtolica ſcripta præcipiendo, mandamus quatenus propter hoc ad vos veniat incunctanter. Quare circumſpectam deuotionem veſtram paternæ charitatis affectu monemus, hortamur, &

obſecramus in Domino, quatenus prouidè conſiderantes, quot & quanta mala non ſolùm vobis ac ipſi Regi & regnicolis, qui omnes eſtis impugnatores hoſtium Chriſti, & magnifici pugiles ac defenſores fidei prælibatæ, ſed toti Chriſtianitati proculdubio reſultarent, quantáque infamiæ macula apud omnes fideles poneretur in veſtri nominis claritate, ac quantam offenſam inferretis ex hoc Saluatori noſtro, ac nonnullis Principibus & Magnatibus in tam pio negotio dicti paſſagij adiuuantibus dictũ Regem, & quod ſi forſan impediretis Crucis negotium, ille ſuſcitaret vobis alia bella & hoſtes, qui eſt Dominus vltionum; animos veſtros ad rationabilem habilitare concordiam ſtudeatis, eiuſdem Patriarchæ ſuaſionibus, & monitis, quæ vobis pro parte noſtra fecerit, acquieſcentes fideliter & deuotè. Nos enim ſibi ſuper huiuſmodi pace firmanda, vel ſaltem treguis longi temporis indicendis, plenam concedimus per alias noſtras literas facultatem. Quòd ſi per interpoſitionem dicti Patriarchæ, & aliorum non poſſetis

ad con

ad concordiam huiuſmodi deuenire, quod auctor pacis auertat, cùm nos parati ſimus in præmiſſo negotio perſonaliter laborare, vos requirimus & rogamus inſtantiùs, vt Ambaſſiatores veſtros cum pleno mandato ſuper his ad noſtram velitis præſentiam deſtinare, qui, vt ſperamus in Deo, felicis pacis commoda reportabunt. Nos enim ſuper his præfato Regi opportuna ſcripta noſtra dirigimus per præſentium portitorem. Datum vt ſupra, &c.

BVLLA XXVI.

Petro Regi Cypri Illuſtri.

Admonet ſe amouere pacis ineundæ impedimenta.

DIebus nuper elapſis ſuper diſcordia tua, & dilectorum Filiorum Ducis & communis ciuitatis Ianuen. tam venerabili noſtro Petro Patriarchæ Conſtantinopolitano Apoſtolicæ Sedis Legato, Ibid. fol. 57.

 quàm

quam eiſdem Duci & communi ſcripta noſtra direximus, prout tunc tuæ Serenitati per Apoſtolicas literas duximus intimandum. Poſtmodum verò pro tua parte nobis notificato, eo quòd de dilectis filiis Magiſtro & Conuentu Hoſpitalis ſancti Ioannis Ieroſolymitani debebas meritò formidare, nos omnibus quæ poſſent huiuſmodi fouere diſcordiam ac impedire faciendam inter te eoſdémque Ducem & commune concordiam opportuna prouidentia obuiare cupientes dictis Magiſtro & Conuentui ſcribimus in forma æquitati conſona, quam Regiæ magnitudini mittimus præſentibus interclusam. Igitur ſi alia noueris quæ dictæ diſcordiæ præſtare valeant nutrimentum, nobis notificare non differas, quia contra ea poſſibilia nobis remedia curabimus adhibere. Datum Auinione, 4. Nonas Martij: anno tertio.

BVLLA.

BVLLA XXVII.

Venerabili Fratri Petro Patriarchæ Conſtantinopolitano, Apoſtolicæ Sedis Legato, &c.

Vt acceleret pacis fœdera.

DIſplicenter nuper audiuimus, quòd tua Fraternitas non perfecto pacis negotio, inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Petrum Regem Cypri Illuſtrem, ac dilectos filios nobilem virum Gabrielem Adurnum Ducem ac commune ciuitatis Ianuen. reformandæ, de ipſa ciuitate receſſit, ad dictum Regem, qui dicitur eſſe Venetiis, profectura. Videmus namque quòd non abſque periculo & damno negotiorum vltramarinorum, nimis differtur perfectio dictæ pacis, ſed ex eo non deſperamus de dictæ pacis fine fœlici, quod ad eoſdem Ducem & commune te percepimus de proximo reuerſurum, propter quod ipſis Duci & communi nuper ſcri- Ibid. fol. 66.

bimus literas introclusi tenoris, quas per te ipsum volumus præsentari. Igitur ne tantum bonum longo tempore prolongetur, & idem Rex & nobiles transfretaturi cum eo in citramarinis partibus detineantur diutiùs, consummationem tractatus eiusdem pacis secundùm prudentiam tibi datam à Domino, quantò solertius poteris, prosequaris, nobis quid inde feceris, rescripturus. Datum, &c.

BVLLA XXVIII.

Eidem Patriarchæ.

Idipsum denuo commendat.

Ibid. fol. 67. HIs diebus super negotio pacis faciendæ inter Charissimum in Christo filium nostrum Petrum Regem Cypri Illustrem, & dilectos filios nobilem virum Gabrielem Adurnum Ducem & commune ciuitatis Ianuen. tibi postquam nuper de dicta ciuitate Ianuen. recessi

receſſiſti, ſcripſimus, haſque noſtras Venerabili Fratri noſtro Guidoni Archiepiſcopo Ianuen. mandauimus aſſignari, vt eas, cùm ad eandem ciuitatem redires tuæ Fraternitati faceret aſſignari. Hodie verò eiſdem Regi & Duci ac communi ex noua cauſa per ipſos Ducem & commune mota, reſcribimus ſecundùm tenores cedularum præſentibus interclusarum. Quare ſi, quod abſit, huiuſmodi pax ſeu concordia per te in partibus illis non valeat expediri, volumus, & tuæ fraternitati mandamus, quòd tam nuncios & Procuratores eiuſdem Regis, quàm dictorum Ducis & communis cum plenis ad hoc mandatis procures ad nos celeriter acceſſuros, túque cum eis venias, ſi commodè poſſis, & videas expedire, alioquin nobis notifices quicquid in dicto negotio per nos tua circumſpectio nouerit faciendum. Datum Auinione, 7. Kal. Aprilis anno tertio.

BVLLA XXIX.

Petro Regi Cypri, &c.

Rogat vt quamprimùm velit transfretare.

Ibid. fol. 87. PEr literas Venerabilis Fratris nostri Petri Patriarchæ Constantinopolitani, Apostolicæ Sedis Legati, nuper non absque multa nostri cordis exultatione percepimus, inter sublimitatem tuam, ac dilectos filios nobilem virum Gabrielem Adurnum Ducem, & commune ciuitatis Ianuen. fore concordiam reformatam, magnámque multitudinem nobilium, & aliarum armigerarum gentium tecum transfretaturarum contra hostes fidei ad te de Alamanniæ aliísque partibus aduenisse nouissimè, ac iugiter aduenire; propter quod si veritas suffragetur relatis, spem iam deficientem resumimus de vltramarinis negotiis feliciter processuris. Et quia instat tempus tui & gentium prædictarum recessus, Domino fauente, fœlicis, hortamur te, quod vlteriùs non diffe

differas, ne gentes ipſæ nimia expectatione grauentur, & quod abſit à transfretandi propoſito reſipiſcant, dictíſque negotiis ex dilatione proueniat detrimentum. Nos ſiquidem ſperamus in Domino, qui gratia ſua, deſideria deuota proſequitur, quòd iter & actus tuæ Celſitudinis, & dictarum gentium proſperabit, noſque prout honeſtè poterimus tibi fauoribus Apoſtolicis aſſiſtemus. Datum Auinione, ſexto, Kal. Maij, anno tertio.

FINIS BVLLARVM.





INDEX RERVM PRÆCIPVARVM IN HAC VITA CONTENTARVM.

Numerus prior paginam, posterior notam Arithmeticam designat.

A

Gladio

G

H

I

L

Mortis

Concio

FINIS.